




DE ZACYNTHI ANTIQUITATIBUS, ET FORTUNA COMMENTARIUS.



VENETIIS,
APUD DOMINICUM LOVISA.
SUPERIORUM PERMISSU.
MDCCLVI.



BALTHASSAR MARIA REMONDINI

Dei, ac Apostolicæ Sedis Gratia

EPISCOPUS ZACYNTHI, ET CEPHALENIÆ &c.

Zacynthiis Civibus apprime Dilectis Salutem in Domino P. D.



Ephaleniæ Insulæ antiquitates Petrus Maurocenus Senator Venetus jam superiori ævo, dum illic Præturam gereret, ediderat; Corcyræ itidem, cum olim Eques Andreas Marmora, tum & nostra

ætate

ætate Immortalis memoriæ Archipræsul, & numquam sine magna laudum præfatione a gratâ posteritate nuncupandus S. R. E. Cardinalis *ANGELUS MARIA QUIRINUS, dum eam regeret Ecclesiam; Zacynthi, quæ utrique est insulæ suppar, & proxima, antiquitates, aut perscripsit antea nemo, aut si quis perscripsit, quod a cl. m. Cive vestro* Georgio Serra *factum nonnulli perhibent, neque publicam lucem aspexere umquam, neque ad nos pervenere. Hac de re cum sæpe apud me vos conqueri audirem, atque ita conqueri, ut per me id vobis exhiberi non obscure postulare videremini; mihique præterea pro instituto quod susceperam Ecclesiæ hujus Zacynthiæ origines, & per consequentia deinceps tempora sacra ejusdem monumenta pervestigandi, hujusmodi certe aliquid, unde cuique ætati lux affulgeret, necessario esset adumbrandum, non recusavi munus, quo, dum*

pro-

proposito inservirem meo, novum etiam vestræ in me benevolentiæ, quo equidem nihil evenire mihi poterat optabilius, fructum captare intelligebam. Illud itaque, qualecumque est, vobis in præsentiarum offero, neque vereor quin, si leviter hic magis recensitas, quam accurate pertractatas res Zacynthias spectaveritis, minorem eo sim apud vos gratiam initurus, qui probe nostis, quam minime abundem otio, quamque assiduis pro animarum vestrarum salute distinear curis. Si cui vero in altera operis parte licentius, quam argumenti fines paterentur, in Achajam excurrisse videar, idem facile, opinor, acquiescet, si reputet hac me modo elucubratione Zacynthiæ Ecclesiæ illustrandæ prolusisse, cujus primordia ab Achajæ Ecclesia necessario sint repetenda; quod alterum si Deo adjuvante aliquando processerit, tunc enim vero cumulate cum hujus insulæ claritati, ac nomini, tum animorum vestrorum utili-

lita-

litati hoc in genere satisfecisse arbitrabor, vosque interim universos peramanter complectens Paterna impertior Benedictione.

Datum Zacynthi ex Ædibus nostris 10. Kal. Septembr. MDCCLIII.



DE



DE ZACYNTHI ANTIQUITATIBUS

PARS PRIMA.



UOS Dardanus, qui amplius triginta Trojæ regnavit annos, ex Bathia conjuge Teucri filia suscepit liberos, Zacynthum, (1) & Ericthonium. Dum primum ordine Zacynthum a Dionysio Halycarnassæo, qui hæc enarrat, recenseri videas, majorem etiam natu ita prodi non immerito existimes. Hunc porro extitisse primum, qui Plophidem Troade delatus, inde Zacynthum Jonii maris insulam navibus trajecerit, conditaque ibi urbe, suo utramque de nomine appellaverit,

 con-

(1) Dionys. Alycarnass. antiq. Rom. l.1. Δαρδάνῳ γὰρ τῷ διὸς καὶ ἠλέκτρας τῆς ἀτλαντίδος δύο γενέσθαι φασὶν ἐκ βατείας παῖδας Ζάκυνθόν τε, καὶ Ἐριχθόνιον.

cõncors scriptorum (1) traditio est. Contigit id ex Petavii supputatione (2) sub annum Periodi Julianæ 3240., Orbis conditi 2530. ante Christum Salvatorem natum 1475.

Virum Psophidium Pausanias (3) vocat; Thucidides vero Zacynthios vocat Achæorum, qui in Peloponneso sunt, (4) colonos. Hinc complures illum antea Psophide demoratum annos conjicimus, diutinaque consuetudine eam sibi interea apud finitimos Achæos (postrema enim Arcadiæ urbs Psophis (5) Achajæque contermina) authoritatem comparasse, ut in novæ condendæ urbis consilium pellectos frequentes navibus suis impositos hanc in insulam transvexerit. Achæorum porro nomine Thucididem ex communi in præsentiarum apud suos usu loquutum priscos Ægialenses significare voluisse intelligimus; quandoquidem

(1) Dionys. loc. cit. Ζάκυνθος δὲ τῆς νήσου κτίστης ταύτης. Pausanias Arcadic. καὶ αὐτὴν ἐς τὴν νῆσον ἐπεραιώθη πρῶτος, καὶ ἐγένετο οἰκιστὴς ἀνὴρ Ψωφίδιος Ζάκυνθός γε ὁ Δαρδάνου. Stephanus in v. Ζάκυνθος.

(2) Siquidem ad hunc annum regnantem Dardaniæ statuit Zacynthi fratrem Erichthonium. Rationar. Tom. 2. in regum Trojanorum tabula.

(3) loc. cit.

(4) εἰσὶ δὲ Ζακύνθιοι ἀχαιῶν τῶν ἐκ πελοποννήσου ἄποικοι.

(5) Polyb. l.4. cap. 70. κεῖται τῆς μὲν συμπάσης πελοποννήσου κατὰ τὴν μεσόγαιαν· αὐτῆς δὲ τῆς ἀρκαδίας ἐπὶ τοῖς πρὸς δυσμὰς πέρασι, συνάπτουσα τοῖς περὶ τὰς ἐσχατιὰς κατοικοῦσι τῶν προσεσπερίων ἀχαιῶν.

dem Achajam Zacynthi ætate, qui Achæum Xuthi filium, unde eidem Achajæ postea nomen factum, longe præcessit, ab Ægialo Inachi nepote, qui eam prior regionem posita abs suo ibi nomine urbe Ægialo, vel Ægialia, tenuerat, ita nuncupati, (1) Ægialenses incolebant. Varro, Dionysius Halycarn., aliique apud Servium Virgilii Scholiasten Scriptores avitum Dardano in Arcadia stetisse regnum, fraternaque cæde pulsum inde Troadem petisse, tradunt; quorum si constat fides, sat probabiles se se in conspectum dant caussæ, quæ Zacynthum Dardani filium Psophidem traduxerint, quæque propinquorum Ægialensium paternas ibidem amicitias excolenti favorem, opesque facile conciliarint. Vulgatior tamen ut opinio esset, non in Arcadia, verum Corito urbe Tusciæ, regnasse Dardanum, priusquam in Troadem transmitteret, præstantissimi inter latinos poetæ effecit authoritas, qui eam Deorum etiam firmat oraculis, præsertim lib. 3. Æneid. Æneæ quiescenti ita per visum alloquentes patrios penates inducit:

Est locus (Hesperiam graij cognomine dicunt)

(1) Pausanias Achaicorum in princ.

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
OEnotrii coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ sedes, hinc Dardanus ortus,
Jasiusque pater, genus, a quo principe nostrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Coritum, terrasque requirat
Ausonias. Et lib. 7. v. 204.

Zacynthum insulam Hyriam etiam dictam aliquando fuisse ait Plinius (1); quamobrem dum Mela Hyriam alteram prorsus a Zacyntho Jonio in mari insulam describit, æque labitur, quod viri docti (2) animadverterunt, atque cum Samen, Neritumque alias a Cephalenia, & Ithaca ibidem recenset.

Dulichium præterea Zacynthum insulam nuncupatam fuisse, sunt qui (3) putent; at quam leve est quod afferunt! illud nimi-

(1) Plin. histor. l. 4. c. 12. Zacynthus aliquando appellat Hyrie.
(2) Christoph. Cellarius Geograph. antiq. l. 2. c. 14. de insula Leucadia agens.
(3) Gerbellius, & alii passim.

mirum Silii Italici : *Armaque Dulichia proavis portata Zacyntho*: Dulichiam nempe appellat Silius Zacynthum utpote Ulyssis imperio subditam, quomodo quidquid ad Ulyssem pertineret Dulichium veteres dixere, quod Dulichio, ut Virgilii scholiastes admonet Servius, aut ortus est Ulysses, aut imperitavit, aut diuturnam traxit moram; aut quod ea Echinadum insula Ithacæ, Ulyssis Patriæ adjacet; adde, si mavis, quod Palensium in Cephalenia urbs indubia Ulyssis ditio Dulichion quondam teste Pausania (1) vocaretur; quamquam Homericum id esse negat (2) Strabo. Ita Scyllam Dulichias vexasse rates Virgilius ait; ita idem Silius Bajas a Bajo Ulyssis socio ibidem sepulto nomen nactas describens, l. 12. v. 114.

doçet ille tepentes,
Unde ferdnt nomen Bajæ, comitemque dedisse
Dulichiæ puppis stagno sua nomina monstrat.

Neque illud insuper satis exploratum est, quod nonnullis est visum, ut Paulum Orosium in descriptione Achajæ, ita Romualdum Archiepiscopum Salernitanum in Ro-

(1) Eliacorum: παλεῖς ἡ τετάρτη κεφαλλώων μοῖρα· οὗτοι δὲ οἱ παλεῖς ἐκαλοῦντο δυλίχιοι εἰς τὰ ἀρχαιότερα.
(2) lib. x. οὔτ᾽ οὖν δυλίχιον ἡ κεφαλλωνία καθ᾽ ὅμηρον, οὔτε τῆς κεφαλλωνίας τὸ Δυλίχιον ὡς ὁ ἄνδρων καλεῖ καὶ φερεκύδης.

berti Guiscardi Apuliæ Ducis historia, Cassiopes Insulæ nomine Zacynthum insulam designare voluisse; nam Cassiopen Oppidum plus uno veteres agnoverunt, insulam Cassiopen præter hos scriptores omnino nullam. Igitur nominibusne tantum, an etiam locis variant Romualdus, & Anna Comnena, dum eodem uterque scribentes ævo Robertum Ducem, ille (1) quidem in Cassiope insula supremum objisse diem narrat, hæc (2) vero in Athere. Quin hæc nescio cujus insuper vaticinii fabulam hus (3) inducit, Roberto scilicet multo pridem vaticinatos fuisse ariolos futurum, ut Atherem usque ditionis suæ fines proferret, sub hæc ascensurum in Hierusalem, atque ibi justa naturæ persoluturum. Post captum itaque ille Buthrotum Cephaleniam classe invectus Athere, quod est Cephaleniæ Promontorium, in febrim incidens exscendit, frigidæque desiderio laborans, cum valde vigentis aquæ fons in propinqua, oculisque subjecta Ithaca, Jerusalem ab antiqua, quæ ibi eo stabat olim urbs nomine, nuncupata laudaretur, perculsum illico Robertum, quod de Ethere ex libro Josue cap 15. v. 41.

(1) Robertus Guiscardus magnificus Dux apud insulam Cassiopem exsistens obiit morte communi major sexagenario anno Ducatus ejus vigesimo sexto.
(2) Alexiados l. 6. (3) ibidem.

41. & Hierusalem Palæstinæ omen animo insidebat, ad Atherem Cephaleniæ, Ithacæque Hierusalem vertisse, suumque jam sibi eo loci instare interitum, quod sexto post evenit die, pronunciasse. Qui Orosianam Cassiopen Zacynthum sunt interpretati, Zacynthum utique interpretati sunt: & Cassiopen illam insulam, in qua vita Robertum excessisse Romualdus scribit, hujus quoque iidem vaticinii fabulam Zacynthum traduxere. Hinc illa fama, seu verius commentum, Zacynthum Hierusalem quondam vocitatam fuisse. Opportuna ad errorem posteris etiam atque etiam affirmandum Zacynthi aderant, ac etiamnum adsunt, diruti cujusdam magni ædificii ad Clericalis Hierosolymitanæ militiæ Ordinem pertinentis vestigia, quæ, ut nudo Hierusalem nomine appellarentur, ante increbruerat. Verum dubitari nullatenus potest, quin Annæ Comnenæ, quæ non modo vulgatissima sui temporis, verum etiam domestica scribat, vera sit de Athere, & Ithaca narratio. Dufresne (1) manifesto labitur, dum Asteriam, sive Asteridem hic ab Anna indicatam putat, quæ non Promontorium, (2) sed insula est, quæ quondam fuerit

 etiam

[1] In notis ad hunc locum Alexiados Annæ Comnenæ
[2] Homerus Odyss. δ. v. 844. Plin. l. 4. c. xii. Strabo l. x. Steph.

etiam (1) urbecula ornata, Cephaleniæ, & Ithacæ interjecta. Promontorium Cephaleniæ, & quidem portu instructum, & quod triginta fere passuum millia distitam Ithacam ab Oriente in conspectu habet, nomine Atherem, quomodo & hodie appellare pergimus Anna commonstrat, non Asteriam insulam. Neque porro etiam de Romualdo suspicari licet, illum ab Anna dissentire, adeoque & ipsum sive Ithacam, sive aliam quamdam in proximo ab Ithaca insulam (non enim diserte Athere Robertum decessisse Anna scribit, sed tantum sexto, posteaquam Athere decubuit, die decessisse) Cassiopes nomine denotasse, quod eam ille Orosianam Cassiopen existimaret, aut quod eo tum re vera illa nomine vocaretur. Mihi vero maxime probatur, Cassiopes oppidum in Corcyra situm cum ab Orosio, tum a Romualdo designari, cum præsertim in eo etiam oppido Robertum vita functum a quibusdam tradatur, appellatumque ab utroque insulam fuisse, eo quod sit oppidum insulare. Hallucinandi profecto ansam dedit Orosii locus (2), quem satis obscurum nimia effecit interpretum diligentia. Obscurus enim vero si hystero-

[1] Apollodorus apud Strabonem loc. cit.
[2] Histor. l. 1. cap. 2. in descript. Achajæ.

ſterologiam ibidem arbitratu tuo tibi effingens illum invertas, at mirum in modum planus, ſi orationis vim, qua illa ſe præbet, ordine, & tenore, excipias. *Achaja*, ait Paulus Oroſius, *habet ab Africo, & Occaſu Cephaleniam, & Caſſiopam inſulam*: jam niſi quid moveas Cephaleniam ab Africo Achajæ objectam intelligis; objectam vero ab occaſu ſecundum Cephaleniam Caſſiopam aliquam in Ithaca, aut ultra Ithacam fortaſſis inſulam, ſin minus, certe inſularem tandem deprehendes, neutram vero umquam in Zacyntho. At prima, inquis, quæ ab Africo in conſpectum Achajæ veniat, Zacynthus eſt, eaque hic fuerat ab Oroſio enuncianda. Immo Strophades, quæ Zacynthum ab Africo ſatis antecedunt. Non illhuc vero eſt Oroſium interpretari, ſed Achajæ ad africum reſpectus de tuo deſcribere. Perperam igitur, ut Hieruſalem, ita & Caſſiopes, opinor, nomen Zacyntho affictum.

Parva equidem, ut ait Livius [1], ſi ad circumiacentes eodem in mari comparetur, Zacynthus inſula eſt, omnium tamen proxima Peloponneſo (2) imminet Elidi (3) obverſa. Straboni ejus ambitus ultra

(1) libro xxvi. anno ab. Ur. c. 540. cap. xxiv.
(2) Marcianus περ. εἶτε πελοποννήσῳ σύνεγγυς κειμένη Ζάκυνθος.
(3) l.2. κεῖται ἀντιπέρας ἤλιδος Thucidides; Scyllax vero in Pe-

ultra centum [1] & sexaginta stadia est; Plinio [2] quinque supra triginta millium passuum, at sexaginta nuperis geographis, qui ejus præterea latitudinem passuum viginti millibus, longitudinem vero quinque & viginti passuum millibus dimetiuntur. Tota pene se in tophaceos attollit montes, non valde arduos, asperosve, neque arboribus proceris comatos, terrenos attamen superne, & graminibus vestitos, fruticibusque, cæduos plerosque, & pascuos, nonnullos etiam deustos, ac multo gypso albicantes. Quarta tantum sui parte se in planitiem demittit, illam quoque haud satis æquam, verum, quasi per lusum ibidem subsultante natura, solo mox assurgente, mox subsidente, crebris ubique saltibus, colliculis, valliculisque interruptam. Tantula autem planities, uti licet tota insula culturæ capax, ob soli suapte perboni ingenium, frequentem aquarum ex imminentium circum montium jugis per secretos meatus ubertim destillantium scaturiginem, cœli temperiem, & ob præcellentem in primis insulanorum industriam, ad miraculum ferax. Quin illa ipsa soli inæqualitas, cum densis omnia vinetis, olivetis,

po-

[1] Periplo ad Elidem: κατὰ ταύτην τὴν χώραν ἐστὶ νῆσος Ζάκυνθος. (1) l. x. (2) l. 4. cap. 12.

pomariisque consita perpetuo fere virore frondescant, amænas ubique silvas, lucosque cum fructibus uberrimos, tum & specie exhibet ornatissimos. Hoc nempe nomine silvosam non uno in loco celebrat Homerus, nemorosam Virgilius:

Δȣλίχιόν τε, Σάμη τε, ϗ ὑλήεσσα Ζάκυνθος. ὀδυσσ. ὀδυσσ. ά.

Dulichion, & Same, & silvosa Zacynthus.

Δȣλιχίῳ τε Σάμῃ τε, ϗ ὑλήεντι Ζακύνθῳ. ά. ή. τ.

Dulichio, & Same, & silvosæ Zacyntho.

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthus. Ænæid. 3. v. 270.

Satis mirari non possum non defuisse, qui horum sententiam minus assequentes desertam sibi continuo Zacynthum, incultam, silvaticis arboribus horridam, vepribus sentibusque undequaque implexam, fœdeque obrutam, non ad alia prorsus, quam ad cædenda ligna, armentaque agenda utilem, mente effingant, clarissimæque insulæ principum græcorum, latinorumque poetarum elogiis nobilitatæ perversa interpretatione deformitatem audeant obfundere; quodque illi eximiæ eidem laudi tributum voluere, id ipsum vertant dedecori. Du-

plex,

plex silvarum genus, horridæ aliæ & incultæ, cultæ aliæ, plantisque accurate dispositis consitæ, elegantes maxime, & fructuosæ. Hoc alterum silvarum genere profecto appellat Zacynthum Homerus silvestrem, hoc est solo, quà planum, cultuique patet habile per eminentia & lacunosa crebro variante, silvarum ubique speciem præbentem, quod optimus ejus sat prodit interpres Virgilius nemorosam appellans; nam nemora, inquit Festus [1], silvas significant amænas, & ad voluptatem consitas, omnemque prorsus scrupulum eximunt scriptores cæteri, qui miram ejusdem insulæ collaudant fertilitatem, Strabo [2] præsertim, qui eo ipso nomine, quo silvosam, etiam fructiferam prædicat: ὑλώδης μὲν, ait, εὔκαρπος δέ: Silvosa quidem, at fructuosa. Quantopere in delitiis a veteribus habitæ fuerint istiusmodi silvæ nemo nescit; eximiæ supra cæteras, longeque spectatissimæ, quæ lauro consitæ propter egregiam ejus plantæ formam, ac majestatem, salubritatem præterea, denique & religionem. Laureta latini, daphnonas græci appellabant. Plane & lauretis nostram nituisse insulam, cum aliquo est argumento, quod istiusmodi plantis etiamnum hodie,

iisque

(1) Ad hoc nomen. (2) d. l. x.

iisque ubertim nulla licet cultura adhibita luxuriantibus passim scateat Zacynthius ager; tum vero luculentum facit indicium summus, idemque antiquissimus Zacynthiorum in Apollinem, cui eædem arrident plantæ, cultus, quod, ubi ea de re se se inferet sermo, manifesto comperietur. Lucorum religione insigniter inclytam Zacynthum homericum *ὑλήεσσαν*, *nemorosa* ipsi attributum procul dubio ostendit, tantique illud decoris fuit, ut præclari cujusdam proprii nominis instar & ipsa obtinuerit, & aliæ, quod de Paro [1] traditur, abs Zacyntho insulæ, vel ambitiose appetierint, vel impositum acceperint.

Præter Strabonem Zacynthii soli fœcunditatem extollit Plinius [2], qui hanc insulam *fertilitate* dicit *præcipuam*, declarantque antiqui signati a Zacynthiis nummi, [3] quorum unus Juliæ Domnæ Septimii Severi conjugi inscriptus in aversa parte juvenem exhibet canistrum frugibus oppletum deferentem, alter Aurelio Eliogabalo dicatus Bacchum prælongum uvæ racemum manu gestantem. Zacynthii vini Athenæum [4] non sane fugit præstantia; qui cum gra-

(1) Stephanus ad Paron insulam. (2) cit. l. 4. c. XII.
(3) Horum nummorum infra datur series.
(4) l. 1. cap. 30. *χαριέστατος δ' οἶνος εἰς παλαίωσιν ὁ κερκυραῖος, ὁ δὲ Ζακύνθιος, καὶ ὁ Λευκάδιος διὰ τὸ γύψον λαβεῖν, καὶ κεφαλὴν ἀδικοῦσιν.*

gratissimum illud fuisse ait, tum & apprime ferens vetustatem ». Ea in hunc usque diem pergit clarere laude Zacynthius ager, qui frequentibus undequaque vitium, olearum, malorumque omnis generis consitionibus, qua præstant solertia cives, diligentissime descriptus, angustus licet, multo laxiores circumiacientium insularum agros, cum ubertate, & copia, tum & fructuum bonitate antecellit, ostenditque quam verum sit Virgilianum illud: *laudato ingentia rura, exiguum colito*: & pulcherrimis passim villulis urbano, qua iidem illi præstant elegantia, cultu undique renidentibus distinctus plane efficit, ut Zacynthiis vel hodie silvulis vix quicquam, aut usu lætius, aut spectaculo oculorum effingi jucundius possit.

Zacynthii ubertatem agri commendant præterea & complures prope maris littus scatentes pice fontes, quos Herodoti [1] verbis (quandoquidem ejus rei veluti incredibilis, neque uspiam terrarum alibi a se extra Zacynthum visæ, admirabilitati fidem facturus suo ipse præfatur testimonio) præstat describere. *Hiscemet*, inquit, *Zacynthi ego oculis vidi ex aquæ lacu emergere picem. Plures autem ibidem vi-*

(1) In Melpomene.

visuntur hujusmodi lacus; illorum amplissimus septuagenum est pedum, duasque altus ulnas. Perticæ porro cuspide illigato circum myrto picem attrahunt, bitumen quidem illam olentem, cætera Persica pice pretiosiorem. Ejus picis posteaquam satis pro usu in effossam in proximo lacunam coegerint, in amphoris reponunt. Siquid in eum forte lacum deciderit, deorsum latum in mari per subterranea delabi, indeque emergere cernitur non procul a littore.

Antiquæ porro a Zacyntho conditæ quondam urbis ne justa quidem reliqua tota deprehenduntur insula rudera, qualia situm, quem tanta moles insederit, vel leviter significent; adeo omnia sive bellicus furor, sive edacis ævi vis, aut alte oppressit, aut etiam usquequaque funditus sustulit; sive, quod propius est credere, terræ id motibus est effectum, quibus maximis omni ævo circumjectas jonio regiones vexatas novimus. Altero [1] ferme abhinc sæculo, ut

(1) In Chronico brevi ad calcem historiæ Ducæ Michaelis Nepotis ex Bibliothecæ Regiæ msf. edito: *Anno 7022. die 16. aprilis Zacynthus insula ingenti terræmotu quassata est, ita ut domus plurimæ corruerint in superiori castro, & inferioris castri pars collapsa sit, istaque ruina multi homines obruti perierunt.* Is autem annus incidit in annum Chr. 1514. octavo fere anno postquam ejusdem castri mænia Veneti Senatus cura fuerant undequaque reparata, novisque ope-

ut in majorum est monumentis, terræ motu adeo horribili Zacynthus insula fuit conquassata, ut monte, cujus hodie in fastigio arx cernitur, & in quo tunc urbs inædificata visebatur, magno hiatu in profundam altitudinem abrupto haud modica urbis pars revulso inhærens cacumini ad ima devoluta ingenti incolarum clade immani obruta acervo sepulta fuerit. Eodem plane in monte, qui ab oriente totus continenti jugo in portum, qua ille maxime in sinum reducitur, est versus antiquam positam a conditore Zacyntho urbem existimamus, siquid erui conjectando potest; nam quæ parietinæ partim solo inductæ, partim eminentes, per summi hujus intra arcem montis aream haud exiguis spatiis discurrunt ingentium quidem iis quondam superstructarum molium vestigia repræsentant, peritorum attamen judicio paulo plus quingentorum annorum ætatem transcendunt. Detur interim venia, si incolarum gratia, quibus pro mortalium studio id rescire par

est

operibus aucta, ut produnt publicæ Civitatis tabulæ vulgo libro degl' Ordini pag. 16. iis in tabulis nulla hujus terræmotus fit mentio; memorantur quidem qui terribiles acciderunt rursus anno 1554. pag. 77. a t., item anno 1593. pag. 136. a t., atque item anno 1664. pag. 228. decretique statim a Senatu sumptus ad mænia qua erant per hos casus diruta reficienda.

est fore jucundissimum, aliquanto hac in pervestiganda re videbimur curiosiores, nostraque se se in longius extrahet oratio.

Scyllax Caryandensis antiquissimus scriptor utpote Dario Notho coævus (quamquam ne si quidem longo post intervallo hujusce rei dederimus indices, minus propterea illi, qui authoritatem præstent, idonei existimandi sint, cum in suam usque ætatem pristinum conditæ ab Zacyntho urbi stetisse situm Dionysius Halycarnassæus tradere videatur, qui ad positum ea in urbe ab Ænea templum vel sua memoria sacra quædam, ac ludicra solemnia agitari (1) scribat; Livius (2) præterea, dum præter urbem arcem nominat, ipsissimam antiquam plane Psophidem videtur innuere) Scyllax inquam imminentem portui urbem describit: (3) Ζάκυνθος, inquit, ἐν ᾗ πόλις, καὶ λίμην: Zacynthus insula, in qua urbs est, & portus. Cum autem duobus peramplis illa cincta sit portubus, cum alterutrum hic eum designasse certum est, tum & urbi propiorem. Uter vero urbi propior dicendus fuerit,

(1) Dionys. Alycarnass. ant. Rom. l. 1. ubi de his sacris & ludicris loquitur εἰς τόδε χρόνου, ait, συντελοῦσι κοινῇ Ζακύνθιοι.

(2) l. xxvi. cap. xxiv. urbem unam eodem, quo ipsa est, nomine habet, eam præter arcem vi cæpit Lævinus Prætor.

(3) In Periplo ad Elidem.

rit, haud anceps judicium est, si subjecti huic monti portus lento a meridie cornu cum prominente in altum ab altera parte jugo non sat quidem coeuntis, & qua cæcias perflat ventus omnino aperti, tutam attamen solo anchoras tenaciter complectente navibus stationem præbentis, sinum, amplitudinem, patentesque in facilem aditum, exitumque fauces, commoditates, opportunitatesque cæteras, quibus minime ille alter æquandus est portus, animo reputemus. Si consentanea vero hæc sunt, in hujus profecto montis vertice consedisse urbem necesse est, monte primum ab ipso protinus mari assurgente (nam hodiernum sub infima montis littus ædificiis refertissimum terra aggesta ex monte imbrium vi circum indique acciso dilapsa, recenti memoria totum instratum est) & qua deinde in clivum erigitur, solo utpote argillaceo & lubrico tantis certe desuper immoliendis ædificationibus haud satis firmo, & stabili. Erat videlicet quod Romano apud Livium Prætori M. Valerio Lævino Psophide arce capta, quam in editissimo urbis loco constitisse ipsum acropoleos (ita enim eam appellat Pausanias) nomen declarat, tam subjecto & proclivi succedens urbs loco superiora tenenti magnum negotium facesseret

ret in ea capienda, ut vim de integro adhibendam censeret, quandoquidem urbem præter arcem vi captam (1) narrat. An non vero hujus supercilio montis impositam, seque e longinquo in conspectum dantem tantum non intento digito ostendit Ovidiana Penelopes ita de procis apud conjugem suum conquerens? (2)

Dulichii, Samiique, & quos tulit Alta *Zacynthus*
Turba ruunt in me luxuriosa proci.

Non Zacynthum insulam *Altam*, montuosam quidem illam, ut pleræque omnes circum aliæ, at nequaquam prææltis insurgentem jugis, sed Zacynthum urbem *Altam* clare denotat. Petito enim ab ejus urbis decore, civiumque opibus, authoritate, potentia argumento misericordiam sibi, & laudem conciliare nititur, quippe quæ tanta a tantis viris, tamque præpollentibus, primoribus nempe Civitatis Zacynthiæ passa in fide perstiterit. Præcipua hujus argumenti præstantia non illam apud Homerum præterit, cum ignotum præsens conjugem alloquitur, non item Telemachum cum Minervam hospitem. ὀδυσσ. τ.

Νῦν δ' ἄχομαι, πόσα γὰρ μοι ἐπέσσευεν
κακὰ δαίμων,

 Ὅσοι

(1) Livius l. cit. (2) In Epist. 1. Penelopes Ulissi.

Ὅσοι γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι,
Δουλιχίῳ, Σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ,
Ὅτι τ' αὐτὴν Ἰθάκην εὐδείελον ἀμφινέμονται,
Οἵ μ' ἀεκαζομένην μνῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον.

Nunc autem angor, tot enim mala in me inflixit numen,
Quicumque enim insulis dominantur optimates
Dulichio, & Same, & silvosæ Zacyntho,
Quique & hanc lætam incolunt Ithacam,
Hi me nolentem petunt uxorem, domum autem absumunt.

Et Telemachus. ὀδυσ. α.

Ὅσος γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστος
Δουλιχίῳ, Σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ,
Οἱ δ' ὅσος κραναὴν Ἰθάκην κατακοιρανέουσι,
Τόσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον.

Quotquot enim insulis dominantur primarii
Dulichio, & Same, & nemorosæ Zacyntho,
Et quotquot asperam incolunt Ithacam,
Tot matrem meam ambiunt, evertunt autem domum.

Mi-

Minus hæc in alterum conveniunt portum, ubi aut humilis fingenda nobis est urbs, si in mare expositam statuamus, aut multa passuum millia a mari retracta, si locemus in monte.

Adlata hactenus mirifice affirmat defossum ducentis abhinc amplius annis in ejusdem, qua primus est ab aquilone ascensus, montis radice M. T. Ciceronis (1) sepulchrum, clarissimoque prodit indicio, urbem suprema montis insedisse. Quin positum illud extra urbem fuerit, nulla prorsus suboriri dubitatio potest, sive Romanorum mores, qui illud posuere, sequutos malumus; id enim Romanis lex duodecim Tabularum præcipiebat; sive græcorum libet existimare disciplinæ indulsisse, quos equidem varia pro varietate locorum, & temporum modo intra, modo extra urbem sepeliendi usos constat, quod demonstrat prolixe Potterus (2), Ciceronis tamen ævo jampridem morem & apud eos sepulchro intra urbem condendi corpora universim exolevisse. Hinc Servius Sulpitius ad eumdem Ciceronem de M. Marcello, qui Athenis decesserat, ita scribit: [3] *Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra urbem ut*

 da-

(1) Quod infra describitur. (2) Archæologiæ græcæ l. 4. c. 7. (3) lib. 4. epist. 12.

darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concessserant. Quod proximum fuit, uti, in quo vellemus gymnasio eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiæ locum delegimus, ibique eum combussimus, posteaque curavimus, ut iidem Athenienses eodem in loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Subitne animum aliter de Ciceronis cineribus cogitare extra urbem quidem sepulchro donatis, at quod proximum erat, non longe ab eadem urbe; quin & in loco maxime percelebri, facilique aditu frequentando, quod pietas, tantique viri claritas non suadebat modo, verum etiam efflagitabat.

Quin neque fortasse temere ex ipso etiam Thucidide hoc locatam exstitisse in monte antiquam urbem conjectes. Quorsum cedo is Zacynthi insulæ, quæ tractu bene longo Cephaleniæ objecta adjacet, ac pene toto in eam corpore incumbit, situm daturus, illum attamen ex una tantum exprimit insulæ facie ad Elidem versa? nimirum brevis licet, erat illa vero totius insulæ celebritate portus, urbisque majestate nobilissima, meritoque potissima Thucididi habita, quæ insulæ situm definiret. Quod si ma-

lueris

lueris Thucididem, quod historicis est usitatum, ex usu rei quam describit, situm insulæ deprompsisse, immo Lacedæmoniorum ille classem Zacynthum ad vim palam inferendam invectam describit; adeoque hunc portum, hanc plane spectasse urbem videtur. ὁ δὲ Λακεδαιμόνιοι, [1] inquit, καὶ οἱ σύμμαχοι τοῦ αὐτοῦ θέρους ἐστράτευσαν ναυσὶν ἑκατὸν ἐς Ζάκυνθον τὴν νῆσον, ἣ κεῖται ἀντιπέρας Ἤλιδος. *per eamdem æstatem Lacedæmonii, & socii centum vecti navibus se in Zacynthum insulam intulerunt, quæ sita est e regione Elidis.*

Medium sub hujus ipsius montis ascensum ab aquilone patrum ætate, ut ferunt, & refert [2] Porchachius, satis adhuc & parietinarum, & pavimenti instrati marmore, & tessellati operis, aliaque multa mira vetustate præstabilia visebantur. Sed numquam non pene in dies novi aliquid ex antiquo ære sive signato, sive conflato, sive ducto cum nostra, tum majorum memoria hoc in monte erui solitum. Ecce tibi, dum hæc scribo, qui nunciet glandes

 plum-

(1) lib.2. (2) Parlando dell' Isola del Zante nel suo Isolario così dice: siccome anco si veggono sotto il castello molte antichità di fabbriche, di lastricati, di mosaico, ed altre cose di qualche momento. Si suol ancor oggi additare questo luoco per tal memoria de nostri maggiori.

plumbeas ibidem complures actutum erutas varie ab ictu deformatas ΑΣΣΚΗΠΙΟΔΩΡΟΥ (fuſoris facile nomen) inſcriptas, quæ omnia priſcorum hic quondam colonorum ſedis indicia haud ægre agnoſcas.

Denique illud unum quanti non eſt habendum? Zacynthus inſula tantummodo quatenus ſe hic portus explicat, portuique impoſitus mons, longe maxime in Elidem prominet, breviſſimuſque inde eſt in eam trajectus; quin & ibi recta poſitam ex adverſo mari proximam habet celeberrimam, atque totius principem regionis urbem [1] Eli. An non ipſa hujus præcellentia ſitus, hæ commoditates, ſeu verius neceſſitates, quas quiſque ſecum facile recolat, de veteri hic ſtante urbe nos ſatis commonent?

Urbs, quando illius ſitum jam facile, ut ſuſpicor, tenemus, ſuccedit inſpectanda. Ἀξιόλογον, *celebrem, & memorandam* eam dicit [2] Strabo. Contemplandam nimirum hoc nomine oculis ſubjicit ædificiorum frequentiam, ſplendorem, ornatum, laxitatem prorſus illam ſpecioſa viarum, ſpatiorumque deſcriptione diſtinctam, altis, ſolidiſque, qua in longum procurrit jugum (non

(1) Hodie appellatur Belvedere. Videatur Μελέτιος τοῦ ναυπάκτου καὶ ἄρτης Μητροπολίτης γεωγραφ. παλαιά καὶ νεά ad Elidem.
(2) d. l. x.

(non autem omnino longius procurrit, quam quantum in conspectu est portus) circumdatis mœnibus septam, cæteraque eximia urbis decora, quæ ne singula prolixa nimis narratione persequeretur, uno pariter Plinius [1] complexus est verbo: *Zacynthus*, ait, *Oppido magnifica*. Satis equidem per se magnam id vocabulum speciem exhibet, at multo majorem ingeret, sicubi advertas, quam non nimis sæpe, quam raro immo potius inter innumeras eo in capite describendum insularum urbes, quarum complures exsistebant procul dubio præstantissimæ, simile aliquid Plinio elabatur.

Superba vero hic urbi alte imminens assurgebat arx illa, quam sive leniendi relictæ dudum abs se Psophidis desiderii, sive gratiæ sempiterno erga Psophidios monumento testandæ caussa (2) Psophidem Zacynthus nuncupavit. Memorandi sane operis ædificium, utpote a cujus nomine, quod Hermolaus (3) vidit, invictissimis deinde arcibus quæsita nobilitas, puresque pluribus in locis arces Psophides dictæ. Psophis quidem primum a M. Valerio Lævino Prætore oppugnata fuit, & vi capta,

novo

(1) d. l. 4. cap. 12. (2) Pausan. arcadicorum. (3) In Plinium.

novo deinde certamine inito oppugnata urbs, eademque vi capta. Inde intelligimus quam magnis illa quoque operibus munita exstiterit, ut quæ capta jam arce hujusmodi sustinendæ adhuc vi par fuerit.

Infra urbem ad ibi exstructum Apollinis templum (1) Stadium patebat Ænææ jam, quod videbimus, & Dionis spectaculo, & epulis claro; ne hujus quidem ulla hodie exstant vestigia. Verum tamen, ut Stadium, non ita & gymnica prorsus apud Zacynthios interiere. Quin, quod solemne equitum primo decursione, tum eorumdem ad simulacrum pugnæ concursu, magno apparatu Prætoria inspectante Curia nostra etiam ætate quotannis ludicrum Zacynthii facere cives solent; quodque paterna iis indulgentia Venetus Senatus, non probavit modo, verum etiam pro sua Regia munificentia ornavit, egregia victoribus decernens præmia, ipsumque equestris hujus certaminis ducem splendido, præcipuisque culto per annum in urbe honoribus Magistri Equitum titulo, atque insignibus decorans, veteri omnino illo dignum est Stadio.

Plures cultos fuisse a Zacynthiis Deos a scriptoribus habemus, & nummis, Jovem, Bac-

(1) Ex loco Plutarchi in Dione infra dando.

Bacchum, Venerem, at supra cæteros, ac ferme ab urbe condita Apollinem, & Dianam. Hinc illa lucorum, quibus maxime utrumque delectatur numen, conserendorum, Stephanonumque, hinc cantus, musicique soni ab ultima ætate apud Zacynthios excitata studia. De Diana Bocchus apud Plinium (1) prodit, de Apolline nummi. Quicumque ante Romana tempora cusi a Zacynthiis supersunt nummi, ii omnes Apollinem repræsentant; supersunt autem duo, alter æreus a VVelerdetio (2) pridem editus, in antica facie divinum caput exhibens, in postica tripodem subjecto Sole radiante inscripta ZAKYNΘIΩN. Alter vero argenteus nuper Zacynthi effossus, cujus antica facies laureatum refert caput, postica juvenem læva citharam, dextra plectrum tenentem inscripta ZAKYNΘOΣ. Juvenis haud dubie Apollinem designat, quem ἀεὶ καλὸν καὶ ἀεὶ νεὸν, semper pulchrum, & semper juvenem in hymnis Callimachus vocat, cujusque, ut ait Anacreon, propria sunt κιθάρα, δάφνη, τρίπους,

ci-

[1] Histor. l. 17. cap. 40. ibi: Et in Hispania Sagunti ajunt templum Dianæ a Zacyntho advectæ cum conditoribus annis ducentis ante excidium Trojæ, ut author est Bocchus, infraque oppidum id haberi, cui pepercit religione inductus Annibal.

(2) Relatus a Bruzenio Martiniere in suo Dictionar. geograph. v. Zante.

cithara, laurus, & tripus. Sive Zacynthum Patrem, sive Zacynthum insulam sub Apollinis specie hic latitantem malimus, æque utrumlibet oppido antiquum, atque impensum huic a Zacynthiis numini exhibitum cultum nummus ostendit.

Nobilem eadem in insula Montem nomine Elato Plinius (1) prædicat; necquicquam alio genere nobilem nuncupatum putes, quam luci, sacrarum fontium, & delubri religione; cumque insuper narret circa Arginussam (vicus erat in Zacynthio agro non longe ab Elato monte) neque (2) hunc montem excedere cervos, immo & auribus in monte fissis conspici, vix ambigas ob ea, quæ hoc in genere fabulantur poetæ, quin Dianæ sacer is mons fuerit, eaque res injecta religionis specie verius, quam ulla prorsus arcana naturæ vi, audierit admiranda.

His orta initiis Zacynthia res primum crescere multitudine civium, incolarumque, qui mutuis affinitatibus, colendique naviter agri cura eam sibi sedem in dies chariorem, lætioremque efficerent, tum circumeundo maria, commerciaque agitando terrestribus, maritimisque affluere opibus, jun-

(1) Plinius l. cit. ibi; Mons Elatus ibi nobilis.
(2) Idem Plin. l. 8. c. 58. ibi: & circa Arginussam (cervi) montem non excedunt, auribus etiam in monte fissis.

junctisque non vicinorum modo, sed & longe positarum gentium amicitiis per occiduas etiam undique oras Zacynthii nominis fama late pervagari. Centesimus vix annus abierat, cum redundante populo, ut vix iisdem se contineri tectis possent, patrioque jam decedendi solo complures subinde necessitas incesseret, frequentes in consilium novæ sibi alibi figendæ sedis versi Zacyntho demigrant, immensoque enavigato mari in expositas ad intima Sucronensis sinus citerioris Hispaniæ terras descendunt, vacuas occupant, novaque ibi urbe condita, eam Patriæ nomine ex peregrinæ, cui assuescunt, linguæ sono Saguntum dicunt. Dianæ, cujus illi secum eo asportarant simulacrum, templum infra urbem (1) extruunt, cujus templi tanta deinceps ubique habita est sanctitas, ut ipsum quoque Annibalem religione inductum ei pepercisse feratur. Ducentis ante Trojanum excidium annis id evenisse Bocchus memoriæ tradidit. Saguntus itaque illa, quam opulentissimam nominat Livius, adeo fide in Romanos, & pertinaci in Annibalem, a quo tandem fuit eversa, odio celebris, Zacynthiorum colonia est.

Non me præterit exstitisse, qui Hercu-

lem

1) Hæc omnia supra relatus apud Plinium Bocchus.

lem illius jecisse urbis fundamenta crediderint. Jactatum id potissimum erat Saguntinorum sermonibus; nam Murrum primorem inter eos virum ita loquentem Silius Italicus inducit: l. 1. v. 505.

Conditor Alcide, cujus vestigia sacra
Incolimus, terræ minitantem averte procellam.

At quanti tandem habendus nobis erit Silius, si cum Apollodoro (1), Livio (2), Boccho (3), Appiano (4), Plinio (5), Strabone (6), Henrico (7) Stephano comparemus, qui omnes Saguntinos Zacynthiorum asseverant esse colonos. Strabo σάγυντον κτίσμα Ζακυνθίων Saguntum a Zacynthiis conditam diserte affirmat, & quidem, addit Bocchus, centum minimum ante natum Herculem annos conditam. Sed nec dissentire prorsus ipse videtur Silius, qui ita canit l. 2. v. 603.

Armaque Dulichia proavis portata Zacyntho.

Ut fabulosum aliquid ibi poetarum more decantasse arguas.

Qui porro Zacantham aliam a Sagunto, Zacanthæos a Saguntinis existimant, eadem faciunt ac si qui Zacynthinos, nam

eos

(1) l. 3. chronicorum. (2) l. 21. cap. 7. (3) apud Plin. l.c.
(4) de bello Hispan. Ζακανθαῖοι ἄποικοι Ζακυνθίων.
(5) d. l. 17. c. 40. (6) l. 3.
(7) ad vocem Ζάκανθα.

eos ita appellat [1] Probus, alios a Zacynthiis existimaret.

Paros quoque Ægæi maris insula, sin minus & ipsa exstitit Zacynthiorum Colonia, cujus equidem rei gravissimam ingerunt suspicionem propria omnia suæ ipsorum insulæ communicata cum illa insula ab Zacynthiis nomina, quandoquidem Nicanor [2] in Metonomasiis Paron vocatam aliquando fuisse *Zacynthum*, *Hyriam*, *Hyliessam* scribit, singularem certe suam erga Zacynthios voluntatem, ac immortalia aliqua Zacynthiorum in se merita adeo insigni monumento testari, ac profiteri publice voluisse censenda est.

Non vero ingratis totus grandiloquus est Florus (3), cum hanc ad insulam Romanum Prætorem M. Val. Lævinum cum classe appetentem describit; quin & pro cura vulgi vertendi in religionem auguria animorum excogitatum non incommode tunc ab laurifera insula, captumque victoriarum omen, enata in puppi laurus. *Primum igitur*, ille ait, *Lævino Consule Populus Romanus Jonium mare ingressus tota*

gra-

(1) in Dione.

(2) Stephanus in voce Πάρος· Νικάνωρ δὲ ἐν ταῖς μετονομασίαις κεκλῆσθαι φησὶν αὐτὴν Πακτίαν, Δημητριάδα, Ζάκυνθον, Ὑρίαν καὶ Ὑλήεσσαν.

(3) Florus l. 2. de bello macedonico.

græciæ littora veluti triumphanti classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Africæ præseferebat, & manifestam victoriam nata in Prætoria puppi laurus pollicebatur. Ab Zacyntho siquidem & denunciationis in græcia armorum, & victoriarum initium Romanis est factum. Capitur a Lævino Zacynthus; hic tum primus jactus est Romanis gradus ad Macedoniam, Græciam, Asiam, Alexandriam, totumque Orientem continenti victoriarum cursu pervadendum. Corcyra, quæ se paulo ante bello Illyrico Romanis dediderat (1), ad Illyridem, nequaquam vero ad græciam tum pertinebat.

Coloniis licet egregie deductis excellens Zacynthus, nusquam tamen imperio facta auctior, ac θαλασσηκρατουσῶν urbium amplitudinem nacta legitur. Prolatandi nimirum foras imperii studia, unde illa excitari propius fuerat, ipsa rerum, quibus abunde urbs affluebat, oppressit copia. Quin & domesticæ solertiæ, virtutisque præstantia haud satis magnas Zacynthiis quærendæ procul eo in genere laudis appetitiones reliquit. Ut saturitate ipsa expleti fastidiunt cibos, ita propriis circumfluentes Zacyn-

(1) Polyb. l. 2. Flor. l. 2. belli Illyrici. Appianus de bello Illyrico.

cynthii bonis oppido parum afficiuntur externis, ac ne peregrinæ quidem gloriæ, quantumvis in propinquo sibi oblatæ, species eos magnopere avocat. Suis se illi Zacynthi in Odæis exercent, suis certant in Stadiis, in suorum oculis, quam in alienorum malunt excellere, domi præstare, quam foris. Minus propterea mirandum, si in clarissimis illis præliis, in quibus totius fere Græciæ stetere vires, ad Marathona, ad Salaminam, ad Thermopylas, ad Platæas, ad Levetra depugnatis, nullos Herodotus, Diodorus, Pausanias memorent affuisse Zacynthios. Quin neque Zacynthiorum ullus Isthmicorum, Olympicorum, Nemæorum, Pythiorumque certaminum, in quibus celebritate maxima bellicæ erant virtutis instituta specimina, principatusque contentiones propositæ, victor citetur. Nullus item ex eorum numero in amplissimum Areopagitarum, Amphyctionumque adscitus ordinem prodatur. Sed nec ulla ad celebria Græciæ templa publice posita a Zacinthiis conspiciuntur donaria, nullius præstabilis Zacynthii artificis in tot egregiis operibus, signisque, quæ innumera illic prostant, curiose pene a Pausania descripta, nomen uspiam oculos incurrat. Quamquam hujusmodi viros non locorum semper, sed

gentis ſæpe nomenclatione à ſcriptoribus notari cernimus, Acarnanum videlicet, Cephaleniorum, Ætolorum, Achæorum, Elienſium, quorum aliquorum in numero, & cenſu numquam non Zacynthii fuere; ac ne tum quidem externa penitus Zacynthios caruiſſe gloria dixeris, ſi eos omnino præteritos a ſcriptoribus liqueat. Quam multos enim nobis iis quondam nominibus in Græcia claros novi quotidie (1) lapides exhibent, & columnæ, quorum nulla facta a ſcriptoribus fuerat mentio?

Quanto equidem in honore Zacynthi habitæ Muſæ, & quantopere cultæ fuerint, etiamſi cætera deeſſent argumenta, unus abunde Pythagoras Zacynthius proderet. Non modo is lyræ docte pulſandæ arte inſigniter floruit, verum etiam rem muſicam novo prorſus, jureque viſo tum omnibus admirando citharæ ab ſe inventæ genere auxit. Cithara, cum a forma, tum ab ſui nomine authoris, Tripus Pythagoræ Zacynthii appellata. Eam, qui hæc apud Athenæum (2) narrat, Artemon ita deſcribit: *Delphico erat*, inquit, *tripodi perſimi-*

[1] Quales ſunt illæ duæ columnæ, quæ viſuntur in Orchomeno Boætiæ urbe in Templo B. M. V. refertæ nominibus τῶν νικώντων τὰ χαριστήσια; alteræ item duo Megaræ variis in certaminibus victorum nominibus refertiſſimæ, & alibi. (2) l. 14.

similis, usumque citharæ triplicis præstabat, nam tripodis pedibus in base quadam, quæ levi in gyrum ageretur impulsu, inductis, qualia inserta, & infixa versatilibus in sellis cernimus, tria ab uno ad alterum pedem intervacantia spatia intentis compleverat chordis, cum suprema quidem transversis in jugi modum brachiis unaquæque clausisset, infima vero varie pro expedita chordarum sive intensione, sive laxatione interstruxisset, & ad communem lebetis, in quem superne desinebat, ornatum, alia quædam affinxerat, unde & species exsisteret elegantior, & gravior sonus redderetur. Suos autem unicuique spatio concentus attribuit, Doricum uni, Lydium alteri, tertio Phrygium; ipse vero in sella quadam ad hoc studiose fabrefacta, sinistra intus manu ad attingendum inserta, altera plectrum admovebat, ac simul unum aliquem ex iis concentibus manu ciere cœpisset, base ad pedis ictum ocyssime circumvoluta alterum reddere arripiebat. Adeo porro celeriter basis pede commotæ velocitas spatia quæque ad manum adducebat, adeoque & ille manuum agilitate præstabat, ut, nisi quisquam intentis sedulo, quod ageretur, notaret, oculis, sed aurium tantummodo judicio fideret, tres numero diversos, appri-

me tamen inter se consonos audire se citharistas pronunciaret. Hoc citharæ genus, cum tantopere in admiratione fuisset, post mortem authoris, sive quod parum diuturna illi vitæ usura contigerit, sive quod disciplinæ admodum indocilis ob operosum manuum motum citharæ tractatio fuerit, sive aliam ob caussam, *statim omnino interiit*, magnumque sui posteris desiderium reliquit. Pythagoræ Zacynthii mentionem præterea facit Aristoxenus ἁρμονικῶν στοιχέιων l. 2. qui Agenorem Mitylenæum musicæ rei scriptorem innuens Pythagoræ Zacynthio eum accenset his verbis: καθάπερ οἱ πυθαγόρα τὸν Ζακύνθιον, καὶ ἀγήνορα τὸν μιτυλιωαῖον: *quemadmodum Pythagoram Zacynthium, & Agenorem Mitylenæum*: ex quibus verbis suspicari non absurde posse videor Pythagoram Zacynthium scriptis etiam, nedum organis, musicam locupletasse scientiam. At quoniam in allato Aristoxeni hemistichio Johanni Meursio mendum subolet, integrum sit cuilibet hac de re judicium.

In poetarum carminibus memoriæ mandandis plurimum græci antiquitus studii collocabant; quin ea fere prima passim erat, qua suos honestissimus quisque ad optimos mores informare curabat liberos, institutio, & disciplina, atque hoc sibi in

Xeno-

Xenophontis Symposio plaudit, ac gloriatur nomine Niceratus, quod Iliadem, & Odyssæam a puero memoria comprehendisset. Hinc Homeristarum [hoc enim carminum deinceps quorumcumque recitatores [1] appellabant nomine, quod ab Homeri carminibus recitandis ea primum increbruerit consuetudo] haud exigua erat in Græcia copia, & dignitas, quos in virorum principum epulis, conviviis, sapientumque conventibus adhibitos studiose, magnoque cum aurium fructu, tum & animi jucunditate audiebant. Nec Regum ab his abhorrebat majestas; Cassandrum siquidem, qui proxime post Alexandrum Macedoniam regio tenuit imperio, valde φιλόμηρον fuisse legimus. Eo regnante Demetrius Phalaræus Theophrasti discipulus facundia, & Philosophiæ studio nobilis Homeristas in theatra induxit, atque hoc in laudis genere Simonidem Zacynthium clarum fuisse Clearchus tradit [2]. *Antilochi*, inquit, *carmina Simonides Zacynthius in theatris de sella considens recitabat*.

Phaylum, sive [3] Phalinum Zacynthium multis splendentem laudibus exhibent

 Cte-

(1) Aristocles apud Athenæum l. 14. (2) Hæc omnia Athenæus l. 14. (3) Phaylum Ctesias, & Plutarchus appellant, Phalinum Xenophontis habent exemplaria.

Ctesias [1], Xenophon [2], Plutarchus [3], instruendorum nimirum exercituum, reique militaris scientia, nec non eloquentia, ac exquisita in transigendis negotiis prudentia præstantem, easque ob res gratia, authoritate, muneribusque amplissimis apud Tisaphernem primum Persarum Satrapam, tum apud Regem Artaxersem Mnemonem excelluisse; a quo tanto fuit in pretio habitus, ut illius industria, & consilio in summis regni sui temporibus uteretur. Legationis ejus, quam ad Clearchum auxiliarium a Cyro fratre e Græcia accitarum copiarum ducem post eumdem Cyrum in prælio cæsum misit, principem, græcum licet, destinavit, & quidem cum potestate ampla, liberisque mandatis. Disceptationem a Phaylo eo in congressu cum Clearcho habitam, qui præsens auribus exceperat Xenophon, etiam literis mandavit; neque de se veretur prodere, quod cum ipse quoque ad colloquium prodiisset, & senem adolescens brevi, verumtamen gravi, sententia perstrinxisset, jocülariter illum sibi [4], & pe-

(1) In fragmentis histor. (2) De Cyri gestis l. 2. in princ. (3) In Artaxerse. (4) l. cit. ita Interpres Italus Gandinus: le quali cose udite Falino sorridendo anco tu, disse, o giovanetto se non m'

& pene per deridiculum respondisse. Manifesti porro Ctesiam mendacii Plutarchus [1] coarguit, dum captandæ ille sibi gloriæ cupidus se quoque Phaylo legatorum in numero adjunctum fuisse sua in historia vulgavit, quem tamen Regi per id tempus adhæsisse Xenophon diserte tradit; tantæ videlicet dignitatis ea legatio habita ad amplificationem nominis famæque quæstum.

Agatharchides Zacynthios bellorum gerendorum minus peritos fuisse ait, quod opibus abundantes vitam in delitiis agerent, ejusque testimonium & Mussonius Philosophus (2), & Athenæus iisdem prorsus

m' inganno fai professione di filosofo, e veramente le cose, che tu dì, non sono poco belle; nondimeno sappi, che tu se' pazzo, se credi, che la virtù vostra debba superare quella del Re. (1) l. cit. Illud vero splendidum jam est Ctæsiæ mendacium quod se una cum Phaylo Zacynthio, & quibusdam aliis ad græcos legatum scribit. Xenophon enim Ctesiam cum Rege versatum fatetur, facitque ejus mentionem, neque est obscurum lectos ab eo Ctesiæ libros, ut nullo modo præteriturus fuerit silentio, siquidem is ad græcos venisset, tantisque de rebus sententiam Regis interpretatus esset, præsertim cum Phaylum Zacynthium nominaverit.

(2) Mussonius l. XII. de luxu græcorum testem aperte inducit Agatharchidem, an & hunc inducat Athenæus l. 12. vel potius Possidonium non liquet, cum enim utrumque proxime superius retulisset, primo Agatarchidem, tum Possidonium statim subdit: ἐν δὲ τῇ τεσσαρακοστῇ πρώτῃ Ζακυνθίους φησὶν ἀπείρους εἶναι πολέμων διὰ τὸ ἐν εὐπορίᾳ καὶ πλούτῳ τρυφῶνται ἐθίζεσθε.

verbis proferunt. Sit fane & illud non leve Zacynthiarum præ opulentia, agrique amænitate deliciarum indicium, quod suarum Zacynthum argumentum fabularum etiam poetæ occuparint. Nota Antiphanis poetæ Comici Zacynthus, cujus adhuc reliqua apud Athenæum [1] legimus fragmenta. Luxu attamen, ut in communi Græciæ malo, immodice, aut turpiter laborasse Zacynthios nusquam accepimus. Homerus certe *μεγαθύμυς* magnanimos collaudat sub *κεφαλλώων* Cephaleniorum nomine, quo nomine & Zacynthios illum comprehendisse constat, & docet Strabo (2). Quamobrem audierint illi rei bellicæ ignari; quicquid certe potius, quam inertiam, ignaviamve suspicabere. Patriæ enim vero charitas, quos Zacynthii, armis licet insueti, minusque exerciti, animos gererent, quam, sicubi usus poposcisset, bello habiles, minimeque abjectos, voluptatumve assuetudine emollitos, tandem patefecit. In tutandis enim propriis extrema quæque experiri semper, quam oblatam ab hoste pacem impigra deditione accipere, maluerunt, ut generosæ

pror-

(1) l. 9. & 12.

(2) l. x. explicans illud Homeri *αὐτὰρ ὀδυσσεὺς ἦγε κεφαλλῆνας μεγαθύμυς. κεφαλλῆνας δὲ νῦν, ait, τὺς ἐκ τῆς νήσυ τῆς κεφαλληνίας λέγυσιν, ὅμηρος δὲ πάντας τὺς ὑπὸ τῷ ὀδυσσεῖ.*

prorsus indolis germanitatem vel in Saguntinis plurimum valuisse merito existimemus. Profecto vicinarum circa insularum vix ullius pari in discrimine æque emicuit civitatis constantia.

Athenienses archonde Callia, facinus parante Tolmide, non ante Zacynthios in suas pertrahere partes potuerunt, quam penitus (1) subegissent, cum interea (2) Cephalenii, & proximi quique cæteri adventanti ultro Tolmidi cederent. Justo ita ille ex Zacynthiis, aliisque in societatem venientibus populis conflato exercitu, in Laconicum agrum populatum induxit, Æginetas fregit; unde ferme atrocissimorum, quibus se ipsa diu confecit Græcia, bellorum initia ducta.

Socratide vero multo post archonde, cum Timotheus classis præfectus, quos secum ferebat exules, Zacynthum remisisset, illatam inde sociali fidei injuriam, noxamque patriis institutis tanta Zacynthii animorum contentione apud Lacedæmonios expostularunt, ut deflagrata sancita recens pace belli odia Lacedæmonios inter & Athenien-

(1) Diodorus Siculus Biblioth. l. xi. ibi: Zacynthum petit, & hac pugnando capta &c. Olymp. 81. a. 1.
(2) Idem Diod. ibid. tum, ait, percussis, atque in ditionem acceptis cunctis passim Cephaleniæ urbibus &c.

nienses rursus succenderint ; eique proinde ipsi se implicuerint bello , quod mox Lacedæmonii Corcyræis intentant , in quod instructis jussi navibus Mnasippam Lacedæmoniorum ducem Corcyram prosequuntur [1] .

Gemina Zacynthiorum spectata virtus & adversus Lacedæmonios (2), qui altero vertente Peloponnesiaci belli anno cum ingenti classe centum ornata navibus sociorumque plerumque opibus comparata , mille insuper levis armaturæ militibus Lacedæmoniis impositis ductore Chnemo Zacynthum repente invecti , terrore armorum incendiis vastationibusque late perlato, re tamen infecta domum redierunt ; non modo enim non subegerunt Lacedæmonii Zacynthios, sed ne pervicerunt quidem, ut ab Atheniensibus, quibus adjuncti erant, ullatenus descifcerent . Tam lævo successu, seu ira, seu pudore, quasi inusta Spartano ab Zacynthiis nomini ignominia, incensos Lacedæmonios simul egressos hybernis ad movendum in Acarnaniam Ambraciensium Chaonumque apud Thucididem (3) facile proinde oratio impulit, ut quæ spem faceret subacta prius Acar-

na-

(1) Hæc Diodorus Sicul. Biblioth. l. 15. Olymp. 101. a. 3. Zenophon de reb. græc. l. 6.
(2) Thucidid. l. 2. (3) cit. l. 2.

nania nullo tum ipsos negotio Zacynthi potituros, Cephaleniamque sibi dudum ab Atheniensibus ereptam recuperaturos.

Neque minus fortiter Romanis eos primum adorientibus Zacynthii restiterunt; cum contra Cephalenii omnes ad primum M. Fulvii conspectum nullas pacis conditiones non bello potiores habuerint. *Alter consul*, inquit Livius (1), *Marcus Fulvius perdomitis Ætolis cum trajecisset in Cephaleniam circa civitates insulæ misit percunctatum, utrum se dedere Romanis, an belli fortunam experiri mallent, metus ad omnes valuit, ne deditionem recusarent.*

Cum hoc animi robore præditos Zacynthios video, simul & cogitatione recolo, in duobus dumtaxat illos ex communibus totius Græciæ bellis, quod literarum sit proditum monumentis, in acie stetisse; Trojano, quod Homerus, & Diodorus tradunt, & Peloponnesiaco, nullumque prætetea usquam sua ipsos sponte foris bellum suscepisse, vix, ac ne vix quidem indulgere mihi possum, ut credam, domesticarum eos opum, deliciarumque lenociniis tantopere ab armis avertisse, ac non peræque etiam insitum pacis studium, moderati animi, abstinentiæque laudem. Quin Pelcponne-

(1) l. xxxviii. cap. 28.

ponnesiaco bello nonnisi Atheniensium sollicitati precibus animum adjecerunt. Quamquam non diffitendum, quod Thucidides refert, eidem illos paulo ante, Corinthiaco nimirum bello, unde Peloponnesiacum repente (1) emersit, conjunctis cum Atheniensibus studiis prolusisse, delectam mille expeditorum peditum manum Corcyræis contra Corinthios submittentes.

Trojani porro tam pervagati fama belli, præstantissimorumque scriptorum celebrati literis, non adeo Zacynthiis cum universa Græcia communis exstitit gloria, ut non eam etiam confecti quidem quodam illi nomine cum paucis præcipuam, suscepti vero eximiam præ cæteris tribui sibi jure postulent. Quem enim ignorare Ulissis potissimum virtute, ac sapientia Trojæ a Græcis debellatum? Ulissis inquam Zacynthiorum Regis. Zacynthii perinde ac Ithacenses, & Cephalenii hunc suum ipsorum Trojam sequuti sunt Regem, ut habetur apud Homerum Iliad. 3.

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε κεφαλλῆνας μεγαθύμους,
Οἵ ῥ' ἰθάκην εἶχον, καὶ νήριτον εἰνοσίφυλλον,
Καὶ κροκυλεῖ' ἐνέμοντο, καὶ αἰγίλιπα τρηχεῖαν,

Οἵ τε

(1) Thucidid. l. 1. αἰτία δὲ αὕτη πρώτη ἐγένετο τοῦ πολέμου τοῖς κορινθίοις ἐς ἀθηναίους.

Οἵ τε Ζάκυνθον ἔχον, ἠδ' οἳ Σάμον ἀμφενέμοντο,
Οἵ τ' ἤπειρον ἔχον, ἠδ' ἀντιπέραι ἐνέμοντο,
Τῶν μὲν Ὀδυσσεὺς ἦρχε Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος,
Τῷ δ' ἅμα νῆες ἕποντο δυώδεκα μιλτοπάρῃοι.
Sed Uliſſes ducebat Cephalenios magnanimos,
Qui Ithacam tenebant, & Neritum frondoſam,
Et Crocylia habitabant, & Ægilipam aſperam,
Quique Zacynthum habitabant, & qui Samum incolebant,
His quidem Uliſſes imperabat Jovi conſilio par,
Hunc ſimul naves ſequebantur duodecim proras rubras habentes.

Hi ſub illius Trojæ ſtabant ſignis; illius hi ſtipabant agmen, ductabantur imperio, laborum, periculorum, certaminum, conſiliorum præter cæteros ſocii, participes, adminiſtri. Neutiquam proinde dubitandum, quin & ad hos in primis tanti ducis omnium prædicatione ſummi præclare acta pertingant, ſplendidiſſimaque proxime promanent merita.

Cum ipſa præterea ſuſcepti belli cauſſa nihilo

nihilo secus, atque ejus fuerit victoria Græcis perquam honestissima hospitii videlicet sanctitas, quam nefario apud Menelaum Helenæ raptu Parides conscelraverat, vindicanda, quoti tandem fuere in celeberrimo illo Ægii coacto ex Agamemnonis edicto Concilio, [1] in quo cunctis Græciæ convenientibus & approbantibus principibus Trojanum decretum est bellum, quorum virtus Zacynthiorum animi magnitudinem exæquaverit, quos propinquitas, avitaque cum Dardanidum gente intercedens necessitudo minime inflexerit, aut, quæ probabilis videri fortassis poterat excusatio, a ferendo suffragio ullatenus retardaverit? Præter Cretenses, unde ortus Teucer, forsitan & Arcades, ut supra est dictum, haud scio, an quemquam alium Zacynthiis habeas adnumerare, quocum eam laudem communicatam putes.

Diu demum post Trojam urbem excisam erigere se se in studia libertatis Græcia cæpit. Hinc regio undique dominatui indictum bellum; pulsi urbibus tyranni, immodicæ potestates imminutæ, temperatæ ad popularem usum leges, æquandæque ubique libertati cura enixe adhibita. Lace-

dæ-

(1) Strabo l. 8.

dæmonii etiam omni ope incumbere, ut paucorum imperiis per omnes Civitates res publica (1) constitueretur. Princeps hæc, immo & una fere, internecinorum, quibus deinceps conflagrat Græcia, bellorum caussa. Haud ignobilis hoc in genere a Zacynthiis quoque impensa opera.

Dionem Syracusanum, [2) Hipparini filium, Platonis discipulum, Dionysius alter Siciliæ tyrannus, quod cum affinitate regia, tum plus etiam virtute, & apud omnes gratia sollicitam sibi merito faceret regni possessionem, in Peloponnesum ablegaverat. Non equidem segnis ibi Dioni mora; exercitus attamen ad Siciliam tyrannide liberandam conficiendi conatus cum minus procederent, *quod* (3) *perpauci ad societatem periculi perducerentur*, ad Zacynthios dilabitur, a quibus perbenigne acceptus studiose, & strenue adjuvatur. Huc continuo veterani ex tota Græcia adducti milites, ducesque & genere, & præliis clari evocati. Hic bellum Siculum aperitur, hic instruitur, hic incitantur in pugnam animi, hic pene bellum conficitur. Zacynthi plane Dionysium regno

a Dione

(1) Thucidid. in princ. (2) Describunt hæc Diodorus Sic. Biblioth. l. xvi. Cornel. Nep. Plutarchus in Dione (3) Cornel. Nep. ibid.

a Dione dejectum dixeris, non Syracusis, Zacynthus, inquit Plutarchus, *comparandi belli sedes fuit. Ibi ad octingenti prope armati convenere, multis, magnisque quique confectis bellis insignes, corporis viribus præstantissimi, & cum alacritate animorum, tum & usu ad irrumpendum in ardua quævis feroces, omnino ejusmodi, qui exemplo vehementer incenderent, & in sui auxilium concitarent quicquid suarum haberet Dion in Sicilia partium. Verum sicubi inaudiunt in Siciliam contra Dionysium destinari bellum, obstupefacti repente despondent animis, & facinus improbant. Irarum impotentia manifesto aiunt Dionem insanire; inopia eum, ac desperatione incerti exitii consilia cæcum proruere. Fraude secum actum palam conqueri, apud quos nulla tanti, quod antea oportebat, facta fuerat belli mentio; expostulare injuriam cum suis, & cum alieni nominis ducibus. At postea quam Dion silentio facto proloquens nihil alicunde tyrannidi esse firmum, sed labantia circum undique omnia demonstravit, ostenditque nequaquam eos lectos milites sibi, verum duces dandos Siculis, Syracusanisque, diu jam illis, si qua hujusmodi se occasio offerat, defectioni imminentibus; & cum eadem gravi oratio-*

ne

ne prosequutus fuisset Cleomenes, qui una cum iis arma sumpserat, Achæus genere, nobilitate, & gloria gestorum inter suos in primis præstans, mirifice sunt assensi. Adulta jam erat æstas, etesiæque mari flabant, lunaque pernox erat. Apollini itaque Dion sumptuosum maxime, & solemne sacrificium parat, & cum exercitu armis magnifice etiam ad speciem ornato procedens templum adit numinis, reque divina ibi rite peracta, in Zacynthiorum Stadio epulis apparatissime instructis militum habet publice convivium. Hic suspicere omnes auri, argentique in pateris mensisque copiam, & pretiosum cæterum quemque ornatum longe splendidiorem, quam privati ferret hominis fortuna, nec inducere animum posse credere, Dionem ea provectum ætate virum, tantarumque opum, tam immane fuisse facinus aggressurum, sin ei & certa oblata spes esset, & plurimæ, maximæque ab amicis facultates, & subsidia suppeterent. Confirmatis ita mirum in modum animis subministrata a Zacynthiis implentes navigia in Siciliam feruntur. Duas Diodorus, & Cornelius Nepos subministratas naves narrant, Plutarchus complures insuper triremes. His Dion opibus (pergit

Cornelius Nepos) *quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centumque peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusis introierit. His, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusque ejus partis Siciliæ potitus est, quæ sub Dionysii potestate fuerat; parique modo urbs Syracusarum præter arcem, & insulam adjunctam oppido, eoque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet, Siciliam Dion obtineret.*

Quamquam fatales jam tyrannis Siculis Zacynthii, nam commutato repente ingenio, versisque in tyrannidem moribus, cum Dion quoque brevi omnibus esset invisus, Zacynthii quidam adolescentes (1), quos Callicratides author, & magister facinoris (civis hic Atheniensis erat, Platonis & ipse quondam discipulus, Calliam Diodorus, Callipam (2) Athenæus appellat) e (3) *suorum numero cum audacissimos, tum viribus maximis* ad id elegerat, per speciem conveniendi tyranni in re-

(1) Diodorus, Cornel. Nep. & Plutarch. l. cit.
(2) l. xi. cap. 23. (3) Cornel. Nep. ibid.

regiam admissi cubantem in lecto Dionem interimunt.

Sed quid moror exequi diem illum, quo non antea fortasse Zacynthiis alter, aut ad voluptatem lætior, aut splendidior ad celebritatem, aut ad posterorum illuxit memoriam insignior, numquam non gratis ab illis & cogitationibus, & sermonibus revocandus, quo nempe Æneas patriis relictis sedibus, multa prætervectus maria, cum duarum & viginti navium classe ad hanc eorum applicuit insulam. Ad nullam Æneas, utpote qui reddendæ semper græcis Helenæ, pacisque fuisset author, divertit Troja profugus Græciæ urbem, quin comiter, munificeque fuerit hospitio acceptus, omnique regio in honore habitus. Quid tum factum a Zacynthiis eadem atque ille stirpe ortis existimatio est? Qui tum effusæ obviam ad mare Zacynthiorum omnis generis concursus, insita mortalibus cura nobilem advenam, propinquitate sibi junctum, regali præclarum majestate, cum immenso suorum comitatu, e navi in terram exscendentem omnium & oculis conspicere aventibus, & animis gratulari, & inclusa sinu gaudia coram profundere gestientibus? Cujusmodi spectaculum illud

fuit, cum silentio tantisper adhibito, donec Æneam, Trojanosque inter, & Zacynthios proceres consalutationes, gratulationesque fierent, lætis undique sublatis clamoribus duo cognati inter se populi in mutuos, ut quisque in quemque incideret, summæ benevolentiæ complexus ruerent, veluti si charorum aliquem longo post intervallo reducem aspicerent, intuendoque alii alios communis se invicem generis admonerent, atque ita regio circumfusi agmini Æneam, dum magna in urbem inveheretur pompa, & ad magnificas multa pridem cura, & opulentia apparatas ædes deduceretur, plausus, lætasque voces edentes prosequerentur; Trojanis deinde principibus ad destinata publice hospitia congruo cum honore deductis, flagrantibus certatim Zacynthii studiis Trojanos cæteros in suam quisque hospitatum domum invitarent; cum urbe denique splendide ornata sumptuosis epularum, pomparum, munerum, ludorumque apparationibus dies quam qui maxime percelebres agerentur. Nihil attamen per eos dies gratius, jucundiusque usuveniebat, quam communes magnificis sæpe verbis efferre origines, quam in ore omnium esse, & exaudiri undique:
Dar-

Dardanus Iliacæ primus Pater urbis, & author,

Ænæid. 8. v. 134.

Zacynthusque ejus filius Zacynthi conditor.

An non hæ species, multoque lætiora, ac magnificentiora menti occursant, cum a Dionysio Halycarnassæo (1) accipimus, Æneam vetustæ cum Zacynthiis amicitiæ, ac necessitudinis excolendæ gratia Zacynthi exscensionem fecisse, ibidemque, ut mutuæ communis generis charitati satisfaceret, tum & apprime liberali hospitum humanitati, ac studio obsequeretur, aliquantum substitisse? Forte importuna dein conscendere paranti navigatio incidit; ita instaurata ea publica hospitalis hilaritas in longius adhuc tempus Zacynthi extrahitur. Veneri interea templum Trojani exstruunt, cui posteaquam justo sacrificio litarunt, ad edita passim agonalia cætera no-

1. Ita Dionysius Alycarnass. antiq. Rom. l. 1. εἰς Ζάκυνθον (Trojani) ἀφικνοῦνται. δεξαμένων δὲ αὐτοὺς ϗ τῶν Ζακυνθίων πρὸς φιλίαν διὰ τὸ συγγενές. --- Ζάκυνθόν τε ϗ Ἐριχθόνιον ὧν ὁ μὲν Αἰνείου πρόγονος ἦν, Ζάκυνθος δὲ τῆς νήσου κτίστης ταύτης δὴ τῆς συγγενείας ἀναμνήσει, ϗ φιλοφροσύνῃ τῶν ἐπιχωρείων διατρείβοντες αὐτόθι, ϗ ἅμα ἀπλοίᾳ κατειργόμενοι θύουσιν Ἀφροδίτῃ πρὸς τῷ κατασκευασθέντι ἱερῷ θυσίαν, ἣν εἰς τόδε χρόνου συντελοῦσι κοινῇ Ζακύνθιοι, ϗ ἀγῶνα ποιοῦσιν ἐφήβοις τῶν τε ἄλλων ἀγωνισμάτων, ϗ δρόμου· τὸ δὲ νικητήριον ὁ πρῶτος ἐλθὼν εἰς τὸν νεὼν λαμβάνει. λέγεται δὲ Αἰνείου ϗ Ἀφροδίτης ὁ δρόμος, ϗ ξόανα τούτων ἕστηκεν ἀμφοτέρων.

novum facrant ludum flore vigentium ætatis juvenum decurrentium, ut, qui ad id templum cursu prior pervenisset, victor haberetur. A positis pro templo illorum signis Æneæ & Veneris, ludus appellatus. Hunc in mille ducentos deinceps a Zacynthiis servatum annos suo quoque instaurari solitum ævo idem Dionysius refert.

Quam hospitalis Zacynthiorum in Ænea excipiendo liberalitas eluxit, ac magnificentia, tam eorumdem in Demarato quoque se prodidit, & suscipiendo humanitas, & protegendo benignitas, ac fides. Alter erat is ex Proclidarum stirpe Lacedæmoniorum Rex, cum cætera gloria inclytus, tum quod una cum regio collega Cleomene Athenienses Pisistridarum dominatu (1) liberasset; unus omnino Spartanorum regum (2), qui quadrijugo Olympiaco in certamine palmam reportarit. Abrogato ei (3) a Lacedæmoniis per infensi sibi se

(1) Pausanias in Laconicis.
(5) Herodotus l. VI.
(3) Herodotus in Ερατω. Δημάρητος ἐπορεύετο εἰς ἦλιν τῷ λόγῳ φὰς ὡς ἐς δελφοὺς χρησόμενος τῷ χρηστηρίῳ πορεύεται. λακεδαιμόνιοι δὲ ὑποτοπηθέντες δημάρητον δρησμῷ ἐπιχειρέειν ἐδίωκον. καί κως ἔφθη ἐς Ζάκυνθον διαβὰς ὁ δημάρητος ἐκ τῆς ἤλιδος, ἐπιδιαβάντες δὲ οἱ λακεδαιμόνιοι αὐτοῦ τε ἅπτονται, καὶ τοὺς θεράποντας αὐτοῦ ἀπαιρέονται. μετὰ δὲ, οὐδὲ γὰρ ἐξεδίδοσαν αὐτὸν οἱ Ζακύνθιοι, ἐντεῦθεν διαβαίνει εἰς τὴν ἀσίην παρὰ βασιλῆα δαρεῖον, ὁ δὲ ὑπεδέξατό τε αὐτὸν μεγαλωστὶ, καὶ γῆν, καὶ πόλεις ἔδωκε. οὕτω ἀπίκετο εἰς τὴν ἀσίην δημάρητος, καὶ τοιαύτῃ χρησάμενος τύχῃ.

Cleomenis calumnias subornatæ Pythiæ perfidia comprobatas, regno, ad privatam rejectus fortunam, ludibrioque a Zeotichide successore læsus Delphos consultum ire se simulans sollicitis clam itineribus Elidem transgreditur, & in Zacynthiorum sinum, tamquam in salutis portum, se recipit. Non hæc illum fefellit spes; nam Lacedæmonios, qui insequentes fugientem Zacynthi fuerant assequuti, omnesque jam illius servos, ne uno quidem relicto calamitatis socio, comprehenderant, ab injicienda in ipsum Demaratum manu viriliter Zacynthii prohibent, deposcentiumque seu preces, seu minas magno, ac forti animo aspernantur, ac respuunt. Singulari præterea virtute, officio, fide, ne quod, aut præsenti Demarati periculo præsidium, aut miseriæ solatium, aut spei pristinæ recuperandæ dignitatis facultas desit, cumulate præstant. Hinc Zacynthiorum ille, ut omnino par est credere, benignitate egregie recreatus navigio, commeatu, cultuque adjutus in Asiam prospere trajiciens ad Darium Persarum Regem, a quo forti humanæ illachrymante non modo humaniter acceptus, verum etiam magnifice habitus, cultusque fuit, perinde ac si regia

adhuc ei fortuna consisteret, pluriumque insuper donatus urbium imperio regium ibi nomen in (1) seram posteritatem propagavit, dubiisque aliquando (2) Græciæ temporibus Patriæ memor, injuriæ immemor auxilio fuit.

Ut paratum Zacynthus, tutumque calamitosis, qui in hospitum humanitate, & misericordia spem jure ponerent, perfugium, ita receptus eadem Zacynthus exitialis iis, quibus in scelere, & hostili conatu spes esset, qualem (3) expertus est Hegesistratus, divinus nempe ille Eleus sacrorum a Telliade (4) traditorum scientia æque ac in Lacedæmonios odio clarus, quem magna apud Mardonium Xersis exercitus ducem mercede Platæensi bello Lacedæmoniis infausta, ac dira præcinentem, cum iidem tandem aliquando Lacedæmonii comprehendissent, arcteque vinctum in dura reservarent supplicia, ad atrox conversus facinus ferreo pedem explicaturus vinculo plantam sibimet ipse præcidit, perque cuniculum clam custodes carcere evadens

(1) Pausanias in Laconicis.
(2) Herodotus l. VII. in Polymnia. Demarati industriam memorat etiam Justinus in Trogo l. II.
(3) Totum hoc describit Herodotus in Calliope.
(4) Pausanias in Phocicis in princ. de Telliade Eleo.

dens lignea in truncum pedem inducta planta nocturna Zacynthum se contrahit fuga. Minus tamen e sententia tam audax ei conatus succedit; nam rumore allato propere Lacedæmonii advenientes inter ipsas dirarum imprecationes ultro sibi ab Zacynthiis ad piaculum deditum confodiunt.

Archelaus quoque regiarum Mithridatis in Græcia copiarum præfectus post acceptam apud Cheroneam a Sylla cladem cum toto Jonio infesta discurrens mari classe exposita circum undique vastasset loca, Zacynthi demum, sive metu compulsus, sive animo quippiam de integro movendi, se se collegit. Verum nequaquam tutam sibi eam ab Romanis stationem de improviso sentiens tumultuarie se inde veluti e repentino incendio proripiens excursoris magis, ait (1) Appianus, quam justi ducis specie in ultimos refugiens Græciæ fines, Chalcidem evolavit.

Ad Zacynthiorum vero humanitatis, pietatisque commendationem nihil adduci illu-

1. Appianus Μιθριδατειϰ πολέμυ: ῥωμαίων ναῦς ὐχ ἐχόντων ἀδέως τὰς νήσυς περιέπλει τὰ παράλια πορθῶν. Ζακύνθῳ δὲ ἐκβαὶ παρεστρατοπέδευσε. καὶ τινων ῥωμαίων οἱ ἐπιδήμυν νυκτὸς ἐπιθεμένων αὐτῷ κατὰ τάχος ἐκβὰς αὖθις ἀνήγετο ἐς χαλκίδα, ληςεύοντι μᾶλλον ἢ πολεμῦντι ἐοικώς.

illustrius, splendidiusque potest, quam quod Romana Republica una cum suo ipsius Servatore, ac Parente M. Tullio Cicerone, violento illo triumviralis dominationis turbine prostrata, Zacynthus potissimum propinquorum, necessariorum, ac optimorum ejus reipublicæ civium judicio digna habita, unaque ex omnibus ubivis terrarum locis delecta, quæ tam immortalis viri patria pulsi, execrandoque sæculis omnibus ictu percussi corpus susciperet, & in qua justis parentalium honoribus exhibitis suam illi erga demortuum pietatem testarentur, ejusdemque sibi, si quo posito ibidem monumento ad omnem commendata posteritatem memoria exstaret, desiderium minuerent. Zacynthiorum (næ istud & magnificum dictu, & auditu admirandum, & pergratum, jucundumque visu) humanitati, pietati, religioni mortui Romani oratoris tutela concredita; apud Zacynhios depositi Ciceronis cineres; Ciceronis Zacynthiis commendati manes. *Si Clodio expellenti*, quandocumque ea legimus, aut audimus, *& Antonio occidenti irascimur*, ait Seneca (1). Si Appianus (2), ut,

(1) de ira 2. 2.
(2) ἐμφυλίων βιβλ. δ'.

ut, in ejus loci, quo cæsus fuerat Tullius, mentionem inter scribendum incidit, non ultra progredi est ausus, quam ad eumdem prius conspectandum se conferret locum, hancque sui in illum testem misericordis animi, pietatisque, orationem literis consignaret: χωρίον, ὃ καθ' ἱστορίαν τοῦδε τοῦ πάθους εἶδον ἀμφὶ καπύην πόλιν τῆς ἰταλίας κατταχθείς: Quibus tandem hic nobis Zacynthus eris, aut adeunda studiis, aut respicienda sensu, aut denique vocibus compellanda, quæ non modo summi viri memoriam prætefers, sed illum ipsum mortuum benigne complexa, pioque prosequuta funere sempiterno monumenti honore ornasti? Qui mortalium tam longe positi, qui tam exuti humanitate homines, qui summam ideo non sentiant se tibi habere gratiam, seque propterea tibi mirifice obstrictos profiteantur? Ipsæ professo ingratæ, quæ de tanta tua laude, ac merito sileant, & non gratulentur literæ. Hoc autem Ciceronis sepulchrum in sextum usque supra decimum sæculum inviolatum, nullisque scelestorum temeratum manibus Zacynthi permansit, donec tandem in augustioris gloriæ fornicem Cœlorum Reginæ, gratiarum omnium apud Deum mortalibus conci-

ciliatrici; MARIÆ Virgini Deiparæ superexstruentes tanti dignitatem, claritatemque monumenti longe etiam nobiliorem præstabilioremque, pro eximia sua in dictam Virginem observantia, & cultu, Zacynthii effecerunt; qua plane ratione & hodiernam Romæ urbem Summorum religione Pontificum prisca magnificentiorem cernimus effectam. Age verò ipsa, quæ hac de re fidem faciant, documenta, & quidem historiæ luminibus illustrata, doctorumque comprobata suffragiis, proferamus.

Fr. Desyderius Lignamineus Patavinus Hieronymi fil. Johanni Bapt. Privitellio Cœnetensi Viro Doctissimo, & Præcept. Opt. S. D.

In Zacyntho insula Venetorum, quæ adjacet Epiro, in mari Jonio anno MDXLIIII. Kl. Decemb. apud Sacellum Divæ Mariæ Gratiosæ cognomento, non longe a littore maris, positum F. Angelus Apulus minorita, dum construendi monasterii fundamenta effoderet, sepulchrum antiquissimum reperiit his literis inscriptum: M. TYLLI CICERO HAVE, ET TU

TER-

TERTIA ANTΩNIA; quod quidem ex hac vetusta inscriptione ostenditur fuisse M. T. C. Arpinatis Civis Romani. Quomodo autem eo Ciceronis reliquiæ delatæ sint, monumentumque hoc ipsum illi sit erectum, ut rem ab ætate nostra remotissimam, haud facile dixerim. Satis tamen constat ex Livio, Appiano, & Plutarcho, quod, cum triumviri Octavianus Cæsar M. Antonio Ciceronem, quem patrem appellare solebat, Antonius vero Cæsari L. Cæsarem avunculum suum, & M. Lepidus L. Paulum fratrem viros Consulares nefanda permutatione necandos concessissent: ubi hæc vere audivit, desperatis rebus præsertim ex sua, filii, & fratris, ac fratris filii, omnium denique necessariorum, & clientum, amicorumque proscriptione, urbe eo consilio abesse voluit, ut in Macedoniam ad M. Brutum trajiceret. Primo igitur in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum veniens Cajetæ, sive Asturæ navem ingressus Circejos usque navigavit. Ibi propter ventos adversos maris tempestate deterritus, cum in terram descendisset, tædium tandem eum & fugæ, & vitæ cœpit. Regressus autem ad superiorem villam moriar, inquit,

quit, in patria sæpe servata. Tandem pervicerunt liberti, & servi, qui secum erant, ut iterum navigaret. Cum igitur ipsum lectica impositum ad mare referrent, adfuere satellites cum Gn. Popylio Lænate legionario milite, qui jussu M. Antonii Ciceronem patrem patriæ, & patronum suum in parricidii judicio prominentem ex lectica deposita ejus mandato, præbentemque cervicem immotam capite tribus feriens, secansque vulneribus, manibus quoque præsertim dextra, qua Philippicas scripserat, præcisis, crudelissime obtruncavit ante Christum natum ann. XL. Æt. vero suæ LXIII. aut, sicuti Arelius Fuscus apud Senecam testatur, LXIIII. Ciceronis deinde caput, & manus Romam ad Antonium delatæ, aspexit diu summa lætitia exultans & Fulvia ejus uxor (Dionis historici testimonio lib. XLVII.) Ciceronis caput manibus pertractans deturpavit, & conspuit, moxque super genua imponens ex ipsius ore linguam extraxit, eamque acubus, quibus ad ornatum capitis utebatur, multis non sine contumeliis totam pupugit, & perforavit. Ubi vero mulier nequissima hac immanitate, & Antonius illo spectaculo per diem oblectatus

& sa-

& satiatus est, jussit per contumeliam caput inter duas manus pro rostris affigi, & Popylium ducem satellitum coronavit, adornavitque ducentis & quinquaginta drachmarum atticarum millibus, hoc est, ut nunc subducunt, XXV. millibus aureorum. Reliquum vero corpus quo & delatum, & a quibus sepulchro ornatum fuerit, numquam legisse memini, nisi semel in quibusdam versibus de morte Ciceronis a Viris XII. scriptis, qui illum a L. Lamia ejus amicissimo humi traditum memoriæ tradidisse videntur; nulla tamen apud quoscunque, qui de hac re scripserint, sepulturæ loci mentione facta. Quamobrem crediderim potius libertos, & servos, qui cum Cicerone erant, & quieti jussu domini passi fuerant, quod sors iniqua, & M. Antonii iniquitas tulisset in eum, accepisse cadaver, & combusisse, & mox conscendentes navim ad navigandum paratam cum cineribus ipsius, & forsitan uxore, & aliis propinquis, & amicis ex timore bellorum civilium Zacynthum insulam in ipso navigationis cursu appulisse. Deinde a Marco Ciceronis filio, quem Octavianus, ut se a traditione Ciceronis excusaret, Pontificem statim declararat, nec multo post

Con-

Consul factus sibi collegam delegerat in memoriam patris, in Italiam (in græciam enim fugerat post Ciceronis mortem Appiani testimonio) erectum hoc sepulchrum fuisse . Siquidem & in Macedonia dignas inferias [antiquorum more] patri persolverat , cum illi M. Brutus ad vindictam necandum concessisset C. Antonium triumviri fratrem, quem captivum habebat. In ipsius autem sepulchro inventæ sunt urnulæ duæ vitreæ, in quibus tanti viri cineres , & amicorum lachrymæ (de more) servabantur. Erant autem formæ, & magnitudinis effigiatæ, & espressæ ad unguem, ut sequenti folio cum facie ipsius sepulchri videri licet. Quod non modo non a veritate ipsa alienum, sed etiam & credibile, & rationi consentaneum esse hoc ipso uno argumento facile judicarim. In fundo enim majoris urnæ cinerum in ambitu concavi vitro erat inscriptum : AVE MAR TUL. Quæ omnia superiori anno XVIII. Kal. Maii, cum ex Creta Venetorum Colonia, ubi decennium publice bonas literas docueram , in Italiam navigarem cum Hieronymo Bragadeno Cydoniensium Rectore opt. & integerrimo meis oculis inspexi, manibus attrectavi in Sa-

cra-


crario antedicti templi, & descripsi. Cum autem Venetias applicuissem, atque inde Patavium III. id. Maii multorum doctissimorum virorum, in primisque Egnatii Veneti, Thomæ Tosarelli Utinensis, Marci Mantuæ, Bonaviti Jurisconf. Arnoldi Rholæi Medici, Bernardini Tomitani, Lazari Bonamici, & Johannis Faseoli Patavini cohortatione devictus sub tuis auspiciis ad communem studiosorum utilitatem, & gratiam nunc primum aliquid otii nactus, ut hæc in manus hominum mitterentur, curavi. Antiquissimam hanc igitur Ciceronis memoriam [præceptor opt. & omnium doctissime] donec majora tibi, & fortasse meliora parturimus, veluti præludium aliquod perpetuæ meæ erga te observantiæ hilari vultu, & læto animo accipias quæso, munusque non ex se ipso, sed ex animo meo metire, cum præsertim οὐ καλὸν ἀνλώασθε δόσιν ἔη, ut vulgo dici solet. Te autem Reverendus F. Jo. Bapt. Lignamineus Patavinus Theologus eximius, & mihi patruus opt. salvere jubet. Ego vero & te, & suavissimos, probatissimosque filios tuos Tarquinium Jurisconf. & Virginium summæ expectationis adolescentem & salvere, & perpetuo felices esse volo. Vale meum, & tuorum decus, & me in

eorum numerum recipias oro, qui te diligenter obſervant, & colunt.

Venet. ex celeberrimo DD. Jo. & Pauli Cænob. XI. Kl. Febr. ann. a ſalute mortalibus reſtituta M.D.XL.VII.




Anceps





Lachrymarum urnula





maiorū urnæ cinerum fundus




M·TYLLI CICERO
HAVE
ET TV
TERTIA
ANTONIA

[illegible]

Anceps profecto, & perplexa Tullianæ hic a Desyderio exhibita fugæ, consequutæque cædis descriptio. Si Roma Cicero excedens in Tusculanum, indeque in Formianum venit, jam Cajetæ navem primo conscendit, non Asturæ; nam cujus fuisset consilii Asturæ conscendere volenti in Formianum longissime decurrere, conversisque illinc retrorsum itineribus Asturam regredi jam sibi dudum a Tusculano recta quam brevissimo tramite obviam? Si autem Cajetæ primo conscendit Cicero, quomodo Circejos usque navigavit? Hoccine fuit in Macedoniam navigare, Antium, atque adeo Romam propius revehi? Verumtamen adversi reflantes eo retulerint venti. Quod porro pergit: regressus autem in villam superiorem: cedo quamnam superiorem villam, Asturam ne, an Formianum? utramque enim supra memorat. Ita incerta apud Desyderium Tullianæ fugæ itinera, incertus locus, ex quo primo; ex quo secundo navem conscendit, &, quod omnino erat definite commonstrandum, incertus locus, in quo tanti crudelitatem parricidii a civibus suis perpetrati exequutus est Cicero; quæ propterea distincte, & ordine singula ex Plutarcho damus (1).

(1) in Cicerone

Roma M. Tullius Cicero unâ cum Q. Fratre in Tusculanum aufugit, ac sicubi de proscriptione nunciatum est, decernunt ambo Asturam transire, indeque ad Brutum in Macedoniam navigare. Q. tamen Frater mutato consilio viaticum curaturus Romam redit; Cicero Asturam progreditur, ibique navem conscendit, & secundo vento Circejos usque navigat. Hic seu metu maris repente commoti, seu spe suborta in fide Cæsaris descendit, pedestrique itinere Romam versus pergit; mox facti pænitens ad mare rursus, Asturam nempe, conscensurus regreditur, & ibi varie anxius, dirisque exanimatus cogitationibus pernoctat; postera die juxta Capuam sollicitantibus, qui comitabantur, devehi se sinit, hoc est in Formianum Capuæ, Cajetæque finitimum, ubi iterum conscendit, at corvorum prodigio territus rursus exscendit in Formianum; cubantem ibi, & quieturum inde quoque horrendo crocitatu, rostrorumque ictibus iidem pergunt dispellere, quare tertio conscendendi consilio capto, dum sublatum lectica navi servi parant imponere, obvius de via in illum prosilit percussor Popilius, & prominentem e lectica obtruncat. Cædis locum, quomodo Plutarchus, etiam Appia-

nus

hus [1] Tullianum juxta Capuam prædium designat, quod est plane ipsum Formianum a Livio [2] nominatim expressum. Priorem de Astura conscensionem, navigationemque unus describit Plutarchus; describit quidem ille & alteram de Formiano conscensionem, at navigationem prorsus mittit describere. Contra Livius, & Appianus hanc alteram solummodo de Formiano conscensionem narrant; at id quod prætermittit Plutarchus, etiam navigationem exequuntur. Aliquoties, ait Livius, in altum fuisse provectum, & cum modo venti retulissent adversi, modo ipse jactationem maris ferre non posset, ad superiorem villam regressum fuisse, videlicet Formianum. Appianus vero: *φυγὼν δὲ*, ait, *ἐπὶ σκάφους οὐκ ἔφερε τὴν ἀηδίαν τοῦ κλύδωνος, ἀλλὰ ἐς ἴδιον χωρίον ἀμφὶ καπύην πόλιν τῆς ἰταλίας ἠρέμει*: cum ligno vectus fugeret tempestatis vim ferre non valens in suo juxta Capuam prædio rejectus substitit. Desyderius priorem Ciceronis conscensionem cum altera confundens utramque obscurat, atque ipsum cædis locum pene obruit.

Altera Desyderii subjicienda est Epistola

(1) *ἐμφυλίων βιβλ. δ'.*
(2) In fragmentis decadis decimæ secundæ apud Senecam Suasoria 6.

la, qua ſepulchralem hanc vindicat inſcriptionem.

F. Deſyderius Lignamineus Patavinus Hieronymo Mercatello Veneto Eccleſiæ Patavinæ Canonico Beneficentiſs. Patrono ſuo

S. P. D.

Quia nonnulli, tuque in primis, Hieronyme virorum opt., addo etiam doctiſs., admirati ſunt illud HAVE in ſepulchro M. T. C. paucis ante annis a me in lucem edito, flatili litera inſcriptum eſſe, iccirco nonnullas inſcriptiones antiquiſſimas in medium adducam, ne id ambiguum habeas, in frequenti idem eſſe antiquorum librorum, & lapidum obſervatione, in quibus paſſim ſic ſcribitur. Erat olim Patavii lapis pulcherrimus, qui nunc viſitur prope Auguſtam Vindelicorum cum hac inſcriptione D. M. PORTITORI PLUTONI, ET PROSERP. HAVE C. F. MAXIMA FELIX. quæ latius videri licet apud inſcriptiones totius orbis, & Bernardinum Scardæonium antiquitatis omnis ſtudioſiſſimum, de claris civibus Patavinis. Non diſſimiles etiam multis in locis leguntur, raro autem admodum aliter, ut

in

in fundo majoris Urnæ cinerum Ciceronis, & Mediolani in domo Ill. Jo. Jacobi Triultii AVE ALCIMÆ BENE TIBI SIT. Harum vero inscriptionum HAVE exempla quædam misit olim Marcellus Cervinus superiori anno Pont. Max., sed immaturo fato nobis ereptus, ad Petrum Victorium de re literaria pulchre meritum, & hæc sunt: MACEDO HAVE BENE VALEAS; quæ inscriptio visitur Romæ duobus in locis, ut habent Epigrammata antiquæ Urbis. In domo quoque Marii Odi IPHIGENIA SUAVIS HAVE; in horto etiam Julii Tomarotii viri clarissimi Longolii testimonio HAVE HYCIA ANIMA DULCISSIMA SIT TIBI TERRA LEVIS. Est præterea pulcherrimis literis inscriptus lapis Pisis, ubi Cosmus Med. Florentiæ Dux II. florentissimum Gymnasium instauravit. PARTHENI HAVE BENE VALEAS. Apud Ostiam itidem, JULIA SP. F. THAIDI, HAVE THAIS, DII TIBI BENEFACIANT. Nec Salerni aliter inspicitur, FLAVIA CLAMERA DULCISSIMA HAVE. Nihil igitur dubitandum tot jam locupletissimis testimoniis in medium adductis quin hæc vera sit Orthographia HAVE ab antiquis recepta, & observata: quam etiam

Geor-

Georgius Fabricius Germanus retinuit, dum hujus sepulchri a me in lucem editi mentionem fecit in sua Roma de locis sepulchrorum Cap. xx. Quod vero a me petis quænam fuerit Tertia illa Antonia, de qua fit mentio in sepulchro Ciceronis, id mihi, ut verum fatear, adhuc non satis constat. Quamobrem autem Tertia cognomine dicta sit, facile quivis perspicere potest. Sic Romulus authore Plutarcho cum ex Ersilia filiam unam suscepisset eam ab ordine procreationis Primam appellavit. Tertia igitur erit cognomen; quamvis non ignorem plerosque prænomen magis esse opinari, sicut & Prima, & Secunda, & Quarta, & Quinta: quod ipsas sorores eodem patre genitas, & nomine gentilicio, sicuti mos erat, dictas distingueret. Exempli caussa Antoniæ si tres fuissent sorores, Prima, Secunda, Tertia cognominibus distinguebantur, si duæ tantum, Major, & Minor apponi solebat. Et me in hanc sententiam trahunt antiquorum lapidum inscriptiones Patavinæ, ut alias, quæ passim variis in locis leguntur, prætermittam: Quas, ut tibi morem geram, & Patriæ faciam satis, oculis tuis subjiciam. In hortis Vincentii Scardæonii Pat. Medici hoc epitaphium invisitur, ubi Primæ mentio

fit.

fit . C. POMPEJUS C. L. LEPIDUS SIBI, ET POMPEJÆ C. L. PRIMÆ TESTAMENTO FIERI JUSSIT. In agro Pat. itidem in Casali Suburbio, ETTIA C. F. PRIMA. V. F. SIBI ET C. SERVILIO C. F. MATURO. In pervetusto etiam templo D. Jo. Bapt. a Navibus Secundæ exemplum habetur. CIPIA P. F. SECUNDA FIERI JUSSIT. Exemplum Tertiæ habes in hoc sepulchro Ciceronis, & Patavii JULIA TERTIA LUCIDÆ LIBERTÆ. De Quarta extat Epitaphium T. Livii in antiquissimo lapide inscriptum, quod ab Æde D. Justinæ translatum cives Patavini in Prætorio amplissimo paucis ante annis ponendum curarunt. V. F. T. LIVIUS LIVIÆ T. F. QUARTÆ: L. HALYS CONCORDIALIS, PATAVI SIBI ET SUIS OMNIBUS. Quintæ vero mentio est in vetustissimis inscriptionibus Patavinis: FILICINUS SIBI VIVOS FECIT, ET ENNIO C. L. ANTIO. C. PATRI, ET VETTIÆ PRISCÆ MATRI C. FIL. QUINCTÆ. In meæ sententiæ cumulum id quoque de maribus ab antiquis observari præclaro epitaphii testimonio addiderim, quod olim repertum in D. Justinæ ingressu nunc invisitur apud Alexandrum Bassianum Pat.

poli-

politiſſimæ eruditionis virum, cujus domus rerum antiquarum officina merito dici poteſt; id autem eſt hujuſmodi: C. SEMPRONIUS Q. F. PRIMUS VIVOS F. SIBI ET UXORI CLODIÆ SECUNDÆ, ET Q. SEMPRONIO TERTIO FRATRI SUO. Si quid melius ſenſerint, aut excogitarint doctiores, & diligentiores viri ex librorum antiquorum lectione, id omne illis condonandum poſteris relinquo. Tibi vero hæc pauca de multis vir opt. potiſſimum inſcribo, quoniam te ſemper totius vetuſtatis amantiſſimum cognovi; id etiam eo libentius facio, quo tibi de maximis tuis beneficiis gratiam ſaltem aliquam referre videar; authoritas enim tua, & teſtimonium quantam mihi apud Reverendos Canonicos Patavinos exiſtimationem fecerit exploratiſſimum conſtat. Siquidem tibi uni acceptum refero, quod me literarum interpretem ad veſtræ Eccleſiæ juventutem inſtituendam delegerint, Kl. Maij MDXLII. Quapropter nunc fateor, &, quoad vixerim, ſimul cum meis omnibus me tibi ſemper obnoxium eſſe fateri cogor, & volo aliquando hujus meæ erga te obſervantiæ monumentum aliquod, ſi modo tantum ingenio præſtitiſſe valeam, poſteritati commendare. Interim has vigilias

no-

noſtras, qualeſcunque ſint, eo animo accipias, quo me ſemper erga te, & familiam tuam obſervantiſſimum, ac votis tuis deditiſſimum noris, & Bernardinum fratrem opt. meo, & F. Leonardi Altavillæ nomine ſalutabis, cujus dolor ex immatura morte Bartholomæi unici ejus filii, & nepotis tui ſuaviſs. nos, ita vivam, & amicos omnes vehementer excruciat. Sed quod durum, quod ineluctabile eſt, patientia levius fiat.

Vale, ac me, ut facis, ama, & fove. Patavii ex Muſæo noſtro D. Auguſtini, ſept. idus Maij, anno Chriſti MDLVI.

Quo tempore iſthæc Deſyderius elucubrabat, nondum penitus erat illa inter doctos profligata quæſtio, ſuper qua æquo pene jure, paribuſque diu ſuffragiis certatum eſt, an prænominibus fœminæ a Romanis donarentur, meritoque propterea excuſandus, ſi non exigui cenſus ejus partis authores ſequutus Tertia hoc in lapide cognomen interpretatur. Præter Valerii, Feſti, Quintiliani teſtimonia, veterum inſuper inſcriptionum authoritate hodie planum jam eſt factum, illas non ſecus ac viros apud Romanos prænominibus uſas. A juſtis præterea antiquarum rerum cognitoribus & il-

lud

lud animadversum (1), quamdiu apud Senatum Romana stetit Respublica, nec dum exhausta ab Imperatoribus authoritate (tamdiu enim ferme integræ vigentesque mansere Romanæ literæ) numeralia nomina, quotus, quotave, quis, quæve fratrum, sororumve sit, significandi caussa adhibita, secundum nomen gentis semper poni consuevisse; qui mos adeo constanter retinebatur, ut, si quando ea numeralia nomina nomini gentis fuissent anteposita, non amplius illum procreationis ordinem significarent, verum prænominis vicem fungerentur; quod ipsa prolata a Desyderio demonstrant exempla. Quamobrem pro certo habendum Tertia hic prænomen esse.

Quidnam vero proscripti, ac cæsi Ciceronis sepulchrum cum Tertia Triumviri proscriptoris gentili consociare potuerit, quando excogitari magis, quam dici vere potest, aliquid ejusmodi proferre non fuerit incongruum. Antoniæ gentis non una, sed plures familiæ, partim patriciæ, partim plebejæ Romæ erant; deme M. Triumviri familiam, jam nihil prohibet, ne cum quavis cæterarum optimo jure communicatum sepulchrum existimemus. Cajus Antonius præterea M. Triumviri patruus

(1) Vedi Lettere seconda, e settima de marmi eruditi del K. Sertorio Orsato.

truus cum Tullio fuit conjunctissimus, tum M. Nepoti maxime offensus. Is cum diu Cephaleniæ (1) exulasset, Urbem illic sibi studiose exstruxerat, qua nondum penitus exædificata revocatus in patriam paulo post vita cessit. Si qua igitur ex pluribus (quod existimare possumus) Caij Cognatis ibidem relictis per eos forte dies Cephaleniæ, aut non inde procul, Zacynthi Tertia prænomine obierit, offerri profecto quicquam Caij posteris ea consociatione sepulchri aptius non potuit cum ad testandam Caij cum Tullio vitæ conjunctionem, tum ad triumviralis crudelitatis ignominiam abs se propulsandam. Sed necessariæ prorsus id fuerat providentiæ eorum, quorum hoc in sepulchro erga M. Tullium pietas exstitit, curare, omnique studio eniti, ut Antoniæ gentis aliquis, quacumque tandem ex familia foret, veluti quidam datus Ciceronis manibus securitatis obses, eodem una inferretur sepulchro. Antonios autem, ut sibi Tertiæ corpus M. Tullii concederent sepulchro inferendum, exorare facile potuisse non modo eorum aliquem, qui utriusque partis amicitias absque offensione colere impense pergerent, qualem T. Pompo-

 nium

(1) Strabo l. x. de Cephalenia insula.

nium Atticum exſtitiſſe novimus, verum & illorum, quos in proſcriptionis communionem invitos cæca dominandi traxerat cupiditas; qui omnibus deinde ſibi officiis placare gentem Tulliam, & lenire averent, quod de Octavio refert Plutarchus. Ad hæc qui oculos deflexerit, ei profecto mirari potius accidet, quemadmodum Popiliæ (1) uxoris virum, ipſummet videlicet Tullium (cujus tamen facti fides nullatenus dubitat) Popilius Læna, iſque abs ſe in cauſſa (2) capitis defenſus percutere tandem potuerit, quam quemadmodum Tertia Antonia Marci Proſcriptoris gentilis Tullii proſcripti copulari ſepulchro potuerit.

DE

(1) Quintilianus Inſt. Orator. l. 6. Tullium incuſat quod repudiata Senex Terentia Popiliam duxerit.
(2) M. Ann. Senecæ Controverſ. lib. 317. controverſ. 17. Valer. Maximus. ſ. 3.

DE ZACYNTHI FORTUNA

PARS ALTERA.

HÆ fere ſunt quæ de Zacynthiis veteres literis prodita reliquerunt. Zacynthiorum modo reſtat ſubjicienda fortuna, ratioque publicæ rei conſtituendæ, qua quovis ævo uſi fuerint, explicanda. Et quidem regium apud illos & principio obtinuiſſe imperium, & diu viguiſſe pro certo habendum. Nullæ ſiquidem primitus græcarum urbium non regiæ ſuberant poteſtati: καὶ οὕτως πανταχόθεν, ſubdit Thucidides (1), ἡ ἑλλὰς ἐπὶ πολὺν χρονον κατείχετο: *& hoc modo univerſa diu ſe habuit uſquequaque græcia*. Hanc qui primi ad populum tranſtulerint Argivi feruntur: Argivi, ait Pauſanias (2), utpote æqui juris, & libertatis ſtudioſiſſimi ab antiquiſſimis temporibus regiam poteſtatem imminuerunt, ut Cæſi Regis ſucceſſoribus nihil præter regium nomen reliquerint,

 Mel-

2) l. 1. in princ.

(1) Pauſanias in Corinth. ἅτε ἰσηγορίαν, καὶ τὸ αὐτόνομον ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτου τὰ τῆς ἐξουσίας, καὶ τὰ ἑξῆς.

Meltan autem Lacideo filium, Medonis nepotem cum imperio tum & dignitate populus omnino expoliavit: qui vero in optimates primi transtulerint, Lacedæmonii perhibentur (1). Quadringentis haud multo amplius ante Peloponnesiacum confectum bellum annis tanto hoc eos institutum studio amplexos fuisse Thucidides tradit, ut & aliis passim ejusdem suscipiendi suasores fierent, neque si qui recusarent, vi & armis abstinerent, atque ita regio dominatui, archondibusque perpetuis tota undique brevi decessum est Græcia. Hujus si constat authoris fides, Zacynthiis, apud quos Lacedæmoniorum authoritatem subsequutos oligarchicum, quod mox ostendemus, monarchico proxime successit regimini, prope sexcentos continenter annos primum imperitasse reges cognoscimus; tot enim a Zacyntho Rege ad illud tempus intercessere. Præter Zacynthum tamen Dardani filium, quem in allato superius nummo regium coronæ insigne capite gestantem conspeximus, & Ulissem, quem Zacynthiorum regem faciunt & Homerus in cata-

ta-

(1) Thucidid. l. c. ἡ γὰρ Λακεδαίμων ἐκ παλαιοτάτου καὶ εὐνομήθη, καὶ αἰεὶ ἀτυράννευτος ἦν. ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ᾽ οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται, καὶ δι᾽ αὐτὸ δυνάμενοι, καὶ τὰ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι καθίστασαν.

talogo, & Strabo (1) Zacynthum insulam inter ὑπὸ τῷ ὀδυσσεῖ πεπαγμένας Ulissi subditas recensens, & Plutarchus (2) Ulissem ob Procorum cædem Neoptolemi judicio Cephalenia, Ithaca, Zacyntho, hoc est patrio regno exulare coactum scribens, cæterorum Zacynthiorum regum nomina nos latent. Sed quemadmodum relictæ post se abs rege Zacyntho soboli in plures ætates paternum mansisse regnum æquum est existimare, ita quoque Ulissi idem avitum, & a majoribus traditum obvenisse. Neque vero qua primum illi occasione fuerint indepti admodum obscurum est conjectari.

Amphitruo Alcæi (3) filius, Persei nepos, pater Herculis, patruo Electrione, eodemque socero per imprudentiam occiso, ab Sthenelo altero patruo Mycenis pulsus Thebas profugit; eodem dudum similem prope ob casum & Cephalus Dejonei filius Areopagitarum sententia damnatus Athenis demigrarat. Eo itaque socio, atque adjutore adscito Amphitruo contra Teleboas, aliasque circum insulas (hae enim sibi Alcmænam lege Electrio desponderat) expeditionem parat; quibus expugnatis subactarum

F 3 parte

(1) lib. x. (2) Plutarch. quæst. græc. xiv.
(3) de Amphitruone, & Cephalo Apollodorus, Diodor. l. 4., Tzetes Chiliad. 1. Histor. xx.

parte insularum Cephalum (1) munerat. Inde Cephaleniæ a Cephalo regnare cæptum, inde partum Ulissi, posterisque ejus Cephaleniæ, Ithacæ, Zacynthi regnum, nam proavus Ulissis Cephalus, seu, si Pausaniæ (2) accedimus, abavus, Celeus proavus, avus Arcessius, Laertes pater, Telemachus filius, Polipортus (3) nepos, quos proinde omnes e Laertia domo Zacynthiorum Regum numero merito censuerimus; inde & denique harumsce insularum commune incolis Cephaleniorum nomen.

Reges post sexcentos tandem annos Zacynthi quoque, ut in reliqua Græcia (4), in ordinem coacti. Quamobrem Messeniaco, quod subinde consequutum est, bello non Zacynthii amplius Reges, sed insulani fæderum authores, & arbitri apud Pausaniam (5) nominantur. Rem autem publi-

(1) Pausanias in Atticis. κέφαλον γὰρ τὸν δηιονέως ξυνελθόντα λέγουσιν ἀμφιτρύωνι τηλεβόας τὴν νῆσον οἰκῆσαι πρῶτον, ἣ νῦν ἀπ᾽ ἐκείνου κεφαλληνία καλεῖται. μετοικεῖν δ᾽ αὐτὴν τέως ἐν Θήβαις φεύγοντα ἐξ ἀθηνῶν. idem Strabo l. x. κεφαλληνίους, τοὺς δ᾽ αὐτοὺς, καὶ τηλεβόας, καὶ τὸν ἀμφιτρύωνα δεῦρο στρατεῦσαι μετὰ κεφάλου τοῦ δηιονέως ἐξ ἀθηνῶν φυγάδος παραληφθέντος, κατασχόντα δὲ τὴν νῆσον παραδοῦναι τῷ κεφάλῳ, καὶ ταύτην μὲν ἐπώνυμον ἐκείνου γενέσθαι, τὰς δὲ πόλεις τῶν παίδων αὐτοῦ.

(2) Pausanias in Phocicis.

(3) Dictys Cretensis de reditu græcorum l. 6. *Ulisses Poliportum Telemacho ex Nausica* (Alcinoi filia) *natum filium appellat*.

(4) Thucidid. loco proxime cit.

(5) Pausanias in Messeniacis: γνῶμαι δὲ ἦσαν: Γόρυς μὲν Ζακύνθου τὴν ὑπὲρ κεφαλληνίας καταλαβόντας, καὶ ποιοῦντας ἀπὸ ἠπει-

blicam tunc in optimates Zacynthi recidisse manifesto declarant cum eo ipso in Messeniaco bello ab Zacynthiis supportata Lacedæmonibus subsidia, tum patria deinceps aliquando jura contra Athenienses, quod supra enarravimus, Lacedæmoniorum ope armis vindicata; nulla etenim ab alienis ab hoc domestico eorum instituto iniri cum Lacedæmoniis (1) societas poterat. Neque propterea temere Ubbo Emmius (2) arguit, hoc tum vicinorum Zacynthiorum exemplo commotos, qui Corcyræ in populi potestate civitatem esse ægre ferebant, missis clam Lacedæmone, qui sollicitarent, exitumque pollicerentur, illud Corcyram bellum pertraxisse. Idem quoque arctæ, diuturnæque suadent Zacynthiorum cum (3) Ætolis necessitudines ejusdem & ipsis diligentibus instituti. Monarchicum præterea, quod ante stabat imperium, & ipsum ex oligarchico conflatum erat, aut certe Ulissis ævo multis jam partibus ad oligarchiam dilapsum, ut haud quaquam ambigatur, quin, sicubi primum quid moveri contigerit, in ea
F 4 totum

ροτῶν γενομένως, ναυσὶν ἐς τὰ παραθαλάσσια τῆς Λακωνικῆς ἐπιπλέοντας κακῶν τὴν γῆν.

(1) Thucidid. in princ. & passim apud Cornel. Nep. in vitis Græcor. Imper. (2) de Republica Corcyræorum in fine. (3) Livius l. XXVI. c. 24.

totum penitus suapte desederit. Homerica enim Penelopes Procos (erant autem ii omnes ex insulis sub Ulissis ditione positis) ἀρίςυς, νήσοισιν ἐπικρατεῦντας, ἐπικοιρανεῦντας, optimates, imperitantes insulis appellat. Procorum deinde ab Ulisse Troja domum reduce cæsorum propinquis provocantibus coram Neoptolemo disceptatore communiter adhibito certavit Ulisses, eaque in certatione (1) etiam concidit. At quæ provocatio a Regibus, penes quos unos summum sit arbitrium? quæ iis esse pœnæ certatio potest? Denique Telemachus Antinoo respondens Procos palam reges nominat, regiminis videlicet, & imperii consortes. ὀδυσσ. ά.

Α'λλ' ἤτοι βασιλῆες ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
Πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ ἰθάκῃ νεοὶ, ἠδὲ παλαιοὶ,
Τῶν κέν τις τό δ' ἔχησιν, ἐπεὶ θάνε δῖος ὀδυσσεύς,
Α'υτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Sed certe reges Achivorum sunt etiam alii
Multi in circumflua Ithaca juvenes, & senes,

Horum

(1) Plutarch. in græcis quæstionibus q. XIV.

Horum aliquis hoc habeat, quoniam mortuus est divus Ulisses,
Cæterum ego domus rex ero nostræ.

Uberiora quidem hæc forent, si quæ de Ithacensium Aristoteles, de Cephaleniorum politia Heraclides Ponticus scripta reliquerunt, integra superarent, non attamen fierent, opinor, illustriora.

Nihil inde amplius a Zacynthiis cum Ithacensibus, ac Cephaleniis in commune agi, sed suam quique deinceps publicam rem domi, forisque separatim administrare, ac tueri. Non regum, ut, pridem iconibus, nominibus signari nummi, sed Ζακυνθίων ἐπιγραφῇ, neque omnes hi populi uno, ut antea, Cephaleniorum in posterum amplius censeri nomine; verum, ut alios aliis sive bella contribuunt, sive diversa adjungunt fædera, varie ab historicis, geographisque describi. Quamobrem compluribus ante Macedonum in Græcia dominatum annis Ithacenses, & Cephalenios inter Acarnanas Scyllax (1) collocat, Zacynthum vero ad Elidem apponit.

Anno 1. Olympiadis 28. cum Ira excisa Messeniorum principes Cyllene novarum sibi parandarum sedium consilia agita-

(1) In Periplo.

tarent, unus ex eis Gorgus (1) nomine, qui primus sententiam dixit, author fuit, ut interceptis Zacynthiis, qui Epirotarum auxilia in Lacedæmoniorum maritima navibus subvehebant, Zacynthus ipsa vastaretur; sed allato interea nuncio Anaxilæ Rhegini Regis, qui Messenios, gentem sibi cognatam, ad se invitaret, relicta Græcia in Siciliam navigant, pulsisque ibi Zanclæis Messanam condunt.

Olympiadis 81. anno 1. fervente Athenienses inter, & Lacedæmonios de Græciæ principatu contentione, Zacynthios, qui Lacedæmoniorum partes sequebantur, armis perdomitos in suas Athenienses (2) perpulerunt, quorum in societate, iis licet dissidiis Cimonis [3] opera mox sublatis, per quadraginta ferme annos perstiterunt, quo usque Timothei Atheniensium Classis præfecti, ut diximus, injuria offensi Lacedæmoniis rursum [4] se adjunxerunt.

Quamdiu Græciæ libertas constitit, & hic integer servatus Zacynthiis Civitatis status, per quingentos paulo minus annos, ad Philippum usque Amyntæ filium.

Per supra centum deinde proxime inse-

(1) Pausanias in Messen. l. proxime adducto.
(2) Diodor. Sicul. Bibliot. l. xi. (3) Cornel. Nep. in Cimone. (4) Diodor. Sic. l. 15. & Xenophon de r. græc. l. 6.

ſequentes annos Macedonum Regum potentia, inteſtiniſque diſſidiis Græcia fœde peſſundata parum abſuit, quominus libertate prorſus excideret. Impendenti communi exitio Achæi primum [1] ſub Pyrrhi ferme in Italiam transfretationem, eorumque mox exemplo Ætoli [2], aliique, vicinis circum populis magno numero ſibi conſociatis in unam quæque gens rempublicam coaleſcentes occurrerunt.

Per ea tempora ſatis mature Zacynthii ad Ætolorum ſe concilium aggregarunt; & quam diutiſſime eo in fædere permanſerunt. In *antiquam* M. Val. Lævinus Prætor Rom. apud Livium [3] formulam juris ac ditionis Ætolorum Acarnanas, & Zacynthios ſe reſtituturum pollicetur, quos ægre utroſque a ſuo corpore diremptos ferebant; Acarnanas quidem multo ante ab Ætolis diremptos ex Polybio [4] cognoſcimus, at Zacynthios omnino ſub finem ſocialis belli adverſus Ætolos a Philippo Perſei Patre Macedonum Rege geſti diremptos. Ejus ſiquidem belli initio circum-

(1) Polybius l. 2. Olymp. 124. (2) Vide Ubbonem Emmium de Republ. & fort. Ætolorum in princ. (3) d. l. xxvi. cap. xxiv. (4) l. 2. Cleomenico bello Acarnanas Antigoni Patris Philippi ſigna ſequutos cum Achæis contra Ætolos, & Lacedæmonios narrat olymp. 139.

cumjectas hasce Peloponneso insulas, utpote Ætolorum juris a Demetrio Phario Macedonico duce a tentata necquicquam Messeniaca Pylo regresso hostiliter habitas idem Polybius [1] narrat. Refert [2] præterea Philippum simul accepta suorum literis Romanorum a Pœno clade ad Thrasymenum lacum maturandæ cum Ætolis pacis sollicitus dum Panormi (portus est e conspectu Naupacti situs) sociarum civitatum legatos, qui secum una ad firmandam apud Ætolos pacem transirent, præstolaretur, Zacynthum interea excurrisse, ibique solum res ejus insulæ composuisse. Ætolicarum igitur adhuc Zacynthus erat partium, magnaque subit animum suspicio, hic illos primum Philippi sollicitatione, & impulsu ab Ætolis ad Acarnanas defecisse; neque enim fuisset aliter, aut Philippo tutum, aut Zacynthiis integrum quicquam inconsultis Ætolis componere.

Quadriennio autem post Romani Zacynthum subigunt, subactamque ex lege fœderis Ætolis restituunt. *Lævinus*, ait Li-

[1] l. 4. ibi *qui primo tentata Pylo, cum aliquandiu urbem oppugnavissent, tamen non sine dedecore sunt repulsi. Post hæc Demetrius cum quinquaginta lembis cursu in cyclades facto, insulas populatur, & nonnullas etiam per proditionem capit.*

(2) l. 5. olymp. 140. a. 3.

Livius [1], *Zacynthum*, ... *& OEniadas*, *Naxumque Acarnanum captas Ætolis contribuit*.

Altero item fere poſt quadriennio per occaſionem, qua Romani toti in punici curas belli averſi biennium Græciæ res neglexerunt, Philippus Macedo captam interea Zacynthum dat [2] Animandro Athamanum regi mercedem, ut per Athamaniam ducere ſibi exercitum in ſuperiorem Ætoliæ partem liceat, qua poſtmodum expeditione fractis Ætolorum animis ad petendam pacem compulit.

In Animandri illa ditione uſque (3) ad fuſum a Romanis ad Thermopylas Antiochum fuit, annos ſcilicet decem & quatuor. Zacynthiis ſub Animandro primum præfuit Philippus Megalopolitanus, quo

[1] l. xxvi. cap. 24. ad an. V. C. 540. ſi Livianam Sigonii Chronologiam ſequamur, nam Petavius paulo variat, uno videlicet ac altero anno.

(2) l. xxxvi. cap. 31. ad an. V. C. 549. *Philippi*, ait, *Macedonum Regis Zacynthus fuerat*. Quando autem fuerit Philippi rogas? opinor an. ab V. C. 542. Zacynthum Ætolis illum abſtuliſse, bis enim eo anno conſociatum Achæis contra Ætolos pugnaſſe proſpere Livius refert l. xxvii. cap. 30. dediſse autem illum Animandro Zacynthum exiſtimo ad an. V. C. 544. nam anno proximo inclinante fregit Ætolos, & ad pacem compulit apud Livium l. xxix. cap. 12.

(3) ad an. ſcilicet V. C. 559. apud Livium l. xxxvi. cap. 19. juxta Sigonium.

quo post annos tredecim per bellum, quo (1) ille se Antiocho adversus Romanos conjunxit, ad belli munia revocato Hieroclem Agrigentinum in Zacynthia Præfectura successorem misit, qui eo ipso vertente anno pulso a Philippo Rege ab Athamania Animandro missis ultro ad Diophanem Achæorum Prætorem nunciis pecuniam pactus Zacynthum insulam (2) Achæis tradit.

Verum T. Quinctius Flaminius, unus ex quatuor legatis a Senatu Romano in Græciam ad tuendos sociorum animos missis, Achæis concilium sibi extemplo præbere jussis interceptam per fraudem Zacynthum conquestus illam ab iis statim repetit, audentesque illos purgare se se, & de jure facti differere, gravi oratione compescuit, contra Animandrum inquiens æque ac contra Antiochum debellatum ad Thermopylas ab Romanis fuisse; desertam inde Zacynthum ejus belli præmium esse, ac Romanis deberi. Ad hæc Achæos permittentes se ei, exhilarato Quinctius vultu amice commonet, si sapiant, si tuti esse velint, Peloponnesi se terminis te-

neant

(1) Vergente an. V. C. 558. apud Livium l. xxxv. cap. 47. Animander vanitate permotus promissorum Antiocho se jungit.

(2) Livius cit. l. xxxvi. cap. 32.

neant documento testudinis (est autem testudo commune, ut in nummis cernimus, Peloponnesi signum) quæ ubi collecta in suum tegimen est, tuta utique est ad omnes ictus; ubi partes aliquas exserat, quodcumque nudarit, expositum, & infirmum habet; atque ita in præsentiarum se iis cavere, futurum cæteroqui, si e re sua ipsorum esse censeret, authorem Senatui, ut Zacynthum ipsos habere sineret (1). Arguta adeo, & sagax visa Plutarcho ratio hæc Titi Quinctii gratiam apud Achæos in ipsa offensione ineundi, ut non in vita modo T. Quinctii memoret, sed inter sua etiam apophthegmata referat.

Vix dum recepta Zacyntho T. Quinctio Naupactum digresso Zacynthii palam ad Ætolos antiquos socios inclinare. Eo in motu superveniens Zacynthum Romanæ classis Præfectus C. Livius insulam depopulatur, & metu injecto ad officium redire cogit [2].

Per biennium tamen adhuc [3] inquietos

(1) Livius d. l. xxxvi. cap. 32. ad a. V. C. 559.
(2) Livius eodem l. xxxvi. cap. 42. (3) Florus de bello Ætolico l. 2. *Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam Regiam Pyrrhi machinis quatit, sequuta deditio. Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii, ut meminеremus auxilii. Sic placuit ignoscere, serpit tamen latius in pro-*

tos, & infidos Romanis Zacynthios facit Ætolorum, quibuſcum maximam & inde cognoſcas, longeque diuturnam fuiſſe antiquitus conjunctionem, deſiderium, donec a Fulvio Nobiliori Conſule afflictis Ætolis, & circumlato ab Ambracio ſinu mari belli terrore, ad quidquid ad Maleum uſque jugum eſt inſularum, Zacynthii quoque rurſus in ditionem rediguntur. *Ætolici hæc*, Florus ait, *acceſſio belli fuit*; adeoque data Zacynthiis pax iiſdem legibus, quibus Ætolica tum pax, aut Ambracienſis convenit: in libertate eſſe (1), ſuis legibus vivere, tantum adjectum in fædus, ne (2) Ætolorum Concilii in poſterum forent.

Hac aliquandiu quieti deinceps ſub Romanis Zacynthii conditione utuntur. Num ſe inſuper formulæ juris Acarnanum interea adſcripſerint, latet; ad illos certe unos, quando per Titum Quinctium ad Achæos, per Fulvium Conſulem ad Ætolos

proximos bellum, omnemque late Cephaleniam, Zacynthon, & quicquid in eo mari inter Ceraunios montes, jugumque Maleum Ætolici belli acceſſio fuerunt. ad an. V. C. 562. De Cephalenia etiam Livius l. XXXVIII. cap. Zacynthum tamen præterit.

(1) Livius 38. c. 43. ex S. C. facto referente M. Æmilio altero conſule ad an. V. C. 563. (2) ita enim conventum erat anno ſuperiore in fædere cum Ætolis icto Liv. eod. l. 38. cap. 9.

los non amplius licet, patet transitus.

Debellatis anno septimo post & quadragesimo Achæis, Græcos (1) undique ad sumenda contra Romanos in spem antiquæ recuperandæ libertatis arma concitantibus, victor L. Mummius Consul ex x. legatorum, quos Senatus miserat, sententia, Græciam universam in provinciæ formam redegit, munitionibus urbes nudavit, arma viris ademit, popularem per civitates potestatem abrogavit, magistratus ex censu instituit, conventus sustulit, vectigalia imposuit, possessione agri quibusvis suos extra fines interdixit, uno verbo totam sub jugo Græciam misit, provinciamque constitutam ab Achæis Græciæ tunc principibus devictis Achajam appellavit [2].

Quid hic omnium undique Græcarum civitatum æquata jam sorte Zacynthiorum ultra pergam propria persequi? Una dehinc Atheniensium, una Lacedæmoniorum, Thebanorum una, Zacynthiorumque, ac cæterorum, qui uno, eodemque censentur Achajæ provinciæ nomine, ac jure, conditio est. Satius propterea occurrit ipsum

(1) Plinius l. 33. cap. 2. Olymp. 158. V. C. 608. id accidisse testatur: variant cæteri. (2) Hæc Flor. in epit. l. 52. Justinus l. 34. Jornandes, Rufus, Strabo, & omnium vero luculentissime Pausanias in Achaicis, & Corinth.

provinciæ ſtatum, ejuſque ſtatus tenorem ad Heraclii Lybici uſque ætatem (eatenus enim, ut Porphyrogenitus tradit, Provincia Achaja fuit) in conſpectum revocare; quale nempe Provinciæ Achajæ voluerint eſſe Romani imperium; quales deinde ſe in eo Romani adverſus Achæos præbuerint; qualia denique paſſi a barbaris Achæi fuerint. His enim tribus per octingentos illos prope annos tota provinciæ Achajæ fortuna vertitur; inde, ſin minus, quæ cujuſque Achæorum gentis ſunt magis propria, occurrent, ultro certe ſe offerent, quæ ſunt cujuſque potiora; horum contra ſiquis reſpectum negligat, profecto & illa uſpiam fruſtra perquirat.

Prætorium principio Achajæ provinciæ imperium fuit; ſemel quidem L. Piſone, & A. Gabinio Coſs., rogante P. Clodio Plebis Tribuno (hanc ſcilicet illi, quod ſe in M. Tullio Cicerone ejiciendo adjuviſſet, gratiam retulit) miſſus vir Conſularis L. Piſo, qui Prætoris Macedonici titulo utramque obtineret provinciam, Macedoniam, & Achajam; ei tamen decedenti ſuffectus continuo vir iterum Prætorius, Ancharius. Facta diu poſt ab Octavio Auguſto provinciarum cum Senatu partitione, pacatas, exhauſtas, excuſſaſque provincias Senatui re-

reliquit, infestas, locupletes, refertasque sibi sumpsit, per speciem quidem deposcendi sibi uni quicquid curarum, laborum, periculorumque in republica supererat, contra Senatui imperii, pacisque bona perfruenda largiendi, omnem re vera eo nomine ad se armorum vim avocans Senatum inermem, imbellemque effecit. Ita Augusti provinciæ pleræque tum Prætoriæ, seu Præsidiales [1], Senatus proconsulares evasere. Achaja quoque Senatui relicta [2] tum cæpit esse proconsularis, neque ante Heraclium [3] Lybicum proconsularis esse desiit. Occurrit equidem fateor, raro tamen, præsidis Achajæ apud scriptores mentio, ut apud Trebellium Pollionem in Claudio: ibi Decius Messalam nuncupat Achajæ præsidem; & apud Philostratum in Apollonio Thyanæo l. 5. ibi Apollonius præsidem vocat, qui tum in Achaja jus diceret; ita quoque loquitur Pausanias: καλȣσι δὲ ȣ̓χ ἑλλάδος, ἀλλ' ἀχαιας ἡγέμονα οἱ ῥωμαῖοι: *appellant autem Romani non Græciæ, sed Achajæ prætorem.*

 Sed

[1] Hæc fuse Dio lib. 53. & Strabo l. ult.
(2) iidemlocis cit. Achajam inter provincias Senatui relictas enumerant;
(3) Costantinus Porphyrogenitus de Themat. Imperii l. 1. cap. 1. non ante Heraclium Lybicum provincias in Themata immutatas fuisse tradit.

Sed satis constat ambiguam apud latinos æque ac Græcos præsidis & ἡγεμόνος nominum communi jam usu factam significationem l. 2. ff. de off. præs. & l. 3. c. de off. rect. prov.; & Pausaniam, cum alii certi ejus memoria Achajæ proconsules, tum vero Herodes ille Atticus proconsul, cujus ipse eodem loco magnificentissimum recens Athenis constructum Odæum celebrat, latere non poterat. Sed ipsa pene Proconsulum Achajæ series in promptu est.

Inter Augusti nummos Corinthi cusos apud (1) Patinum est, qui in aversa parte Pegasum exhibente M. Bellii Proconsulis nomen inscriptum refert.

COR inthus M. BELLIO PROConsule IIVIR.

L. Junium Gallionem Achajæ sub Claudio proconsulem memorant acta apostolica; & quemdam alium proconsulem Claudii nummus in Musæo [2] Theupolo editus ostendit, cujus in aversa facie

ΠΟΠΑΣΙ.. ΟΣ ΜΟΖ ΠΑΤΡΑ.......
Popasius *Patræ*
ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ.
Proconsul.

Sub

(1) In Thesauro Mauroceno pag. 92.
(2) In serie VI. græcorum num. in Claudio p. 843.

Sub Nerone Proconſulem Ægæam acta martyrii S. Andreæ Apoſtoli a præsbyteris Achajæ conſcripta nominant. Poſtremis tamen imperii Neronis annis, primiſque Veſpaſiani, quibus liberam ille Achajam, vectigalem hic rurſus fecit, ab hiſce Imperatoribus fuiſſe ſine proconſulibus curatam Pauſanias oſtendit, cum de Veſpaſiano loquens ait: καὶ σφᾶς ὑποτελεῖς τε αὖθις ὁ Οὐεσπασιανὸς εἶναι φόρων, καὶ ἀκούειν ἐκέλευσεν ἡγέμονος: *Vectigales nos rurſus, & ſub proconſule conſtituit*.

Plinius junior, qui ſub Nerva floruit, Maximo Achajæ proconſuli ultimam libri octavi inſcribit epiſtolam.

Subjecta Megarenſis inſcriptio a Sponio edita prodit Achajæ proconſulem Tiberium Claudium Atticum; illum non temere opineris, qui ſub Antonino Pio cum C. Bellicio Torquato Conſulatum geſſit, cognominatus Herodes:

ἡ βουλὴ, καὶ ὁ δῆμος Τιβ. Κλαύδιον Ἀττικὸν ὕπατον ἐπὶ εὐεργεσίαις, καὶ εὐνοίᾳ τῇ πρὸς τὴν πόλιν.

Senatus, populuſque Tib. Claudium Atticum beneficum, & benevolentem Civitati.

Ulpianus J. C. in l. meminiſſe ff. de Off. proc. & leg. Calphurnium Rufum Achajæ dicit proconſulem; & Paulus J. C.

Cajum Valerium Proculum in l. ult. ff. ad Trebell.

Capitolinus, & Spartianus in Valente tradunt, Valentem sub Gallienis proconsulari imperio Achajæ præfuisse.

Acta (1) SS. MM. Codrati, & Soc. a Nicephoro Gregora descripta Tertium nuncupant Græciæ Proconsulem. Altera hæc apud Sponium Megarensis inscriptio Æmilium Saturninum Achajæ Proconsulem profert, illum forte, qui cum Licinio Gallieno Aug. VI. fuit postea Consul:

Ἡ βουλὴ, καὶ ὁ δῆμος Μ. αἰμίλιον Σατορνεῖνον ἀνθύπατον τῶν ἑαυτῶν μέγαν εὐεργέτην ἐπιμεληθέντος τοῦ στρατηγοῦ ἀρίστονος τοῦ διονυσίου.

Senatus, populusque M. Æmilium Saturninum Proconsulem erga se beneficentissimum curante Aristone Prætore Dionysii f.

Constantius in l. 9. Cod. Theod. Severiano scribit Achajæ Proconsuli.

Julianus Apostata Vectium Prætextatum Achajæ Proconsulem fecit, ut auctor est Marcellinus l. XXI. Crebra præterea apud Eunapium cum in Sophista Juliano, tum in

(1) Ex ms. cod. Ducis & Elect. Bavariæ a Reinaldo Delinio Soc. J. edita, & latina reddita cap. 3. ibi: ad unum itaque judicem omnes quidem Tertium nempe proconsulem Græciæ diversis tamen suppliciis toleratis vita excesserunt Victorinus primum, Victor, & Nicephorus &c.

in Proæresio Proconsulum, ἀνθυπάτων, jus in Achaja dicentium mentio. Atheniensis inscriptio a Raphaele Volaterano vulgata Rufum Festum Achajæ Proconsulem indicat: τῷ λαμπροτάτῳ ἀνθυπάτῳ τῆς ἑλλάδος ῥούφῳ φαίστῳ, καὶ ἀρεοπαγείτῃ ἡ ἐξ ἀρείου πάγου βουλὴ τῶν τριακοσίων, καὶ ὁ δῆμος ὁ ἀθηναίων εὐνοίας, καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα.

Clarissimo proconsuli Græciæ Rufo Festo, & Ariopagitæ Senatus Ariopagi CCC. *Virorum, & populus Atheniensis benevolentiæ, & beneficentiæ caussa.*

Eum ipsum suspicatur Pancirolus, a quo pleraque isthæc descripsimus, qui sub Valentiniano Consularis Syriam, & Proconsul Africam rexit l. 1. c. ubi de possess. agi opor. & l. 3. ff. de cohort.

Synesius quoque sub Theodosio Seniore Proconsulis Achajæ mentionem injicit epist. 135.

Zosimus l. 5. histor. sub Arcadio a Ruffino Præfecto Orientis Antiochum datum narrat Achajæ Proconsulem.

Amphissensis inscriptio hæc, quam sibi visus est Sponius a Gruteri scrupulis vindicasse, Secundinum Proconsulem nominat:

Decim. Secundinus V. C. Proconf. Curat., & Defen. Amphissensium Salutem.

illumque Secundinum existimat, qui, quo

 tem-

tempore Fælix erat Consul Occidentis; fuit Orientis Consul Anastasio imperante.

Notitiæ præterea Imperii, & demum Synechdemus, seu tabulæ provinciales Hieroclis Achajam inter Proconsulares referunt provincias. Neque hoc mediocriter ad claritatem, florentemque provinciæ statum pertinebat. Proconsulare quippe imperium insignium, lictoriorumque fascium majestate, dignitate, & numero legatorum, denique potestate, post Augustum præsertim, amplissimum, longoque post se intervallo provincialia cætera imperia quævis, non prætoria modo, verum etiam Consularia relinquens. Tres proinde tantum Proconsulari imperio eximiæ toto Romano Orbe Constantini M. ævo provinciæ numerantur, Asia, Africa, nostraque Achaja, quæ haud diu post unica etiam prorsus facta est reliqua Proconsularis, eademque una omnium, & numero urbium, & amplitudine regionum præstantissima, cæteris undique provinciis mirum in modum accisis, & imminutis; quod utrumque Hieroclianæ ostendunt tabulæ, quæ Achajæ Provinciæ urbes novem & septuaginta, interque eas nostram Zacynthum percensent, repræsentantque ferme Achajam ab Hadriano Trajano relictam. Nam vetus

Acha-

Achaja, uti primum provincia est facta, complectebatur Achajam proprie dictam, Helladem, illam nimirum veram, & liberam quondam Græciam, Peloponnesum, circumjectasque insulas, Thessaliam insuper, & Epirum. Hadrianus Thessaliam, & Epirum a vetere Achaja avulsas in tres seorsim provincias erexit, & cum novæ formæ Achaja Macedoniæ contribuit, ipsamque Macedoniam contribuit Illyrico recens novis abs se finibus, iisque amplissimis constituto, quale nobis Sextus Rufus exhibet. Ut Macedonia, ita & Achaja numquam non deinceps adhæsit Illyrico, illoque a Constantino M. primum, deinde ab Honorio & Arcadio diviso datum id est Achajæ Provinciæ dignitati, ut cujus Illyrici parti Achaja adhæreret, ejusdem etiam Illyrici princeps Provincia esset, adeoque prima ordine in utraque imperii notitia censeretur.

Atque, ut cæteras hujus Provinciæ vices prosequar, diviso Rom. Orbis imperio in Orientale, & Occidentale authoribus primum Constantino Chloro, & Galerio Maximiano, Orientali imperio cum universo Illyrico Achaja adscribitur, paretque Galerio Maximiano, ejusque successori Licinio, quo tandem attrito, & ditione omni spo-

ſpoliato, toto potitus orbe Conſtantinus M. non modo illam imperii diviſionem non ſuſtulit, verum etiam nova a ſe confecta utriuſque imperii deſcriptione firmavit, atque in ea Achajam cum parte Illyrici Orientali aſſignavit imperio. Conſtantino M. e vivis erepto orbem inter ſe univerſum tres illius filii Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans protinus partiti longe aliter deſcribunt, totumque Illyricum, adeoque & Achajam Occidentalis imperii parti, quam ſortitus eſt Conſtans, adjiciunt, at brevi relictus fratrum poſtremus Conſtantius, cum ad ſe unum ſuperſtitem univerſa rediiſſet imperii ſumma, illud ex prima parentis deſcriptione cum ipſe, tum qui proximi poſt eum imperant Julianus, & Jovianus adminiſtrant, atque hoc modo rurſus Orienti Achaja reſtituitur. Poſt Jovianum vero cum integro Illyrico illa iterum Occidentali attribuitur imperio, quod dividenti cum Valente fratre obtigit Valentiniano, quodque is inſuper Gratiano poſt ſe relinquit filio. Qui Theodoſium in Oriente, Gratianum in Occidente excepere Auguſti, Arcadius, & Honorius, diviſo inter ſe juxta Conſtantini M. fere deſcriptionem Illyrico, Achajam Orientali rurſus reddunt imperio, a quo num-

quam

quam postea fuit amplius dirempta, cerniturque propterea inter Orientales a Hierocle provincias relata (1).

At quænam, inquis (quandoquidem neque hoc est prætermittendum) provinciæ Achajæ urbium Proconsulari est sede, Prætorioque præfulgens? Sunt (2) qui Patras, sunt qui (3) Corinthum existiment; illi quod martyrii S. Andreæ Apostoli acta Proconsulem Patris agentem describant, contra hi, quod versantem Corinthi acta narrent apostolica. Sunt vero etiam (4), quibus nulla prorsus uspiam placet stabilia, certisque perpetuo affixa locis Prætoria in Senatus præsertim provinciis, cujusmodi Achaja est, ante occupatam omnino ab Imperatoribus rempublicam, solutamque Senatus authoritatem, quorum equidem lubens sententiæ subscripserim. Provinciarum enim administratio lege Sempronia annalis erat, ac licet biennalem po-

(1) Varias hasce imperii descriptiones ex Sexto Rufo, Notitiis Imperii, & Sigonii historia dedimus.

(2) Wolfangus Lazius Græciæ antiquæ l. 2. Quanta autem, ait, existimatione Patræ fuerint non solum Proconsulis Prætorium ibi constitutum a Romanis ostendit &c. (3) Pancirolus, a quo plerosque etiam Achajæ proconsules descripsimus, Notitia Dignitatis Imperii c. 104. Achajæ, inquit, Metropolis Corinthus, ubi Proconsul degebat &c. (4) Benedictus Bacchinus de Ecclesiast. Hierarchia par. 1. pag. 27. & seqq.

poſtremo lex Julia fecerit, paulo tamen poſt morem majorum in Senatus provinciis revocavit Auguſtus. Perbreve autem illud temporis curriculum totum omnino illud ſibi vindicabat ipſum perluſtrandæ, obeundæque provinciæ munus. Quamobrem non perpetuis ullæ adhuc prætoriis urbes; ſed conventibus dumtaxat, in quibus Prætores fora agerent, jus dicerent, celebres habebantur. Hinc Plinius Provincias ſui temporis per conventus deſcribit. Quod Peſcennius Niger, qua apud Marcum, & Commodum authoritate pollebat, multis contenderat, ut nemini in provincia ante quinquennium Præſidi, vel legato, vel Proconſuli ſuccederetur, a Severo tandem in morem inductum fuiſſe Spartianus ſcribit. Quinquennalis vero hujus ſpatii, cum nonniſi partem minimam provinciæ perluſtratio abſumeret, certi, ac ſtabilis aliqua in urbe, in qua pro cætera mora conſiderent, figendi domicilii tum præſides inceſſit neceſſitas; eo autem illos vel ab ultimis provinciæ finibus adeundi frequentia inanem paulatim reddidit veterem conventuum percurſionem, brevique etiam illorum oppreſſit celebritatem. Perpetuis iſto modo clarere urbes Prætoriis, unæque ſupra cæteras eminere, provinciæ caput haberi,

beri, ac metropoles nuncupari. Scriptæ de Taciti Imperatoris electione *ad Curiam Trevirensem*, *ad Curiam Carthaginensem* a Senatu literæ, quod tradit Vopiscus, fundata illic pridem hujusmodi indicant prætoria. Quin Corintho præ omnibus Achajæ urbibus tum fuerit tributus a Proconsulibus Prætorii honos, ambigi non potest, non modo propter antiquissimam urbis imperio, opibus, artificum, operumque præstantia clarissimæ nobilitatem, aut situs terra, marique opportunitatem ipsa loci natura imperio provinciali domicilium præbente; nam in medio posita totius est umbilicus provinciæ, ejusdemque faucibus insidens cum terra claustra tenet, tum duobus hinc inde cincta maribus quasi vinculis astringens eam undique concludit (*), verum etiam quia diu jam antea Romani in ea gloria nominis, imperiique majestas consederat, ex eaque universæ Græciæ a Romanis jura dari, legesque imponi consueverant. Philippo Rege, Macedonibusque ab T. Quinctio Flaminio devictis Senatus decretum, quo Græci omnes liberi, immunesque suis esse legibus jubebantur, Corinthi (1) celebritate, & plau-

(*) Adde quæ Cicero in Rullum de Corintho ait.
(1) Livius l. XXXIII. cap. 32. Plutarchus in T. Quinctio Flaminio a cap. 16. usque ad cap. 18. Polyb.

& plausu illo, cui parem nullæ prodant historiæ promulgatum fuit. Decem legati paulo ante Achaicum bellum sollicitantibus Spartanis a Senatu ad res sociorum inspiciendas in Græciam missi Corinthi (1) græcarum civitatum principes evocarunt, ibique Senatus decretum recitarunt, quo provisum erat, ne qua Civitas juris esset Achæorum. Fractis a L. Mummio Achæis alterum Senatus decretum, quo cuncta vectigalis facta est Græcia, Corinthi fuit [2] pronunciatum. Nero Imperator Græciam rursus liberam Corinthi (3) isthmico in conventu nullo, ut ante T. Quinctius, præcone adhibito sua ipse voce pronunciavit. Quod Carthago præterea Africæ, hoc ferme fuit Achajæ Corinthus [4]. Uno excisa utraque urbs tempore, eodemque illarum excidium utriusque consequuta est gentis deditio, & in provinciam

in Eclect. 9. Florio scitantiam manifesto teneas, qui Nemeæ id gestum unus scribat l. 2. de bello Maced. 1.

(1) Justinus l. xxxiv. Florus in Epitome l. 51. Belli, ait, Achaici semina referuntur hæc, quod legati Pop. Rom. ab Achaicis pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

(2) Florus l. 52. in Epit., Pausanias in Achaicis, cæteriq. supra adducti. [3] Plutarchus in T. Quinct. Flamin. cap. 26. Svetonius in Nerone, & alii.

(4) Plutarchus in Cæsare cap. 80.

ciam migratio. Utraque simul a ruinis a C. Cæsare Dictatore IV. magnifice excitata; Coloniaque deducta. Quomodo igitur Africæ Prætorio insignis Carthago fuit, ita quoque Achajæ Corinthum esse oportuit. Profecto per antiqua hæc vix integrum proconsulibus fuerat aliam præ Corintho Achajæ urbem Prætorii perpetui splendore honestare. Verum hujus illa quondam in urbe locatæ dignitatis vestigia in multas relicta ætates luculente impressa utriusque declarant historiæ monumenta, quod viri docti argumentum diligentissime sunt persequuti. Sed de provinciali imperio hactenus.

Videamus modo, quales per id tempus, quod secundo loco proposueramus, Romanos in se experta provincia Achaja fuerit. Non multis, ait Pausanias (1), posteaquam provincia facta est annis, Romanos græcorum misericordia cæpit, & multæ, quas L. Mummius Consul indixerat, remissæ, & sua cuique genti consilia restituta, & agros extra fines habere permissum. Plures subinde etiam populi, alii alio tempore, libertate donati suis beneficio Senatus legibus perfruuntur. Quare objicit Pompejo Cæsar, quod bello civili

vili

(1) Pausanias in Achaicis, & passim alii.

vili a liberis Achajæ populis pecuniam exegerit; crimini dat Verri Cicero (1), quod *magistratum Sicyonium hominem*, inquit, *domi nobilem*, *Pop. Romani socium*, *atque amicum nummos poposcit*, *&* *cum ille non daret*, *animadvertit*; vehementiusque hoc eodem Pisonem insectatur nomine, ereptamque conqueritur libertatem (2) *populis Cæsaris lege justissima*, *atque optima liberis*, *ut plane*, *&* *vere*, inquit, *erant*. Satis tamen paret, non universim, aut certe non eodem modo, in omnes eam largitionem, benignitatemque pertinuisse. Siquidem vectigalis agri publici in Achaja meminit Cicero contra Rullum: *deinde vendit*, inquit, *agrum optimum*, *&* *fructuosissimum*, *qui L. Mummii imperio*, *ac fælicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus est*. Vectigalium publicorum in Achaja agrorum aliquod etiam indicium faciunt Romanæ Dymas a Pompejo, Corinthum a Jul. Cæsare, Buthrotum, Patras, Nicopolim ab Octaviano Augusto, Megaramque deductæ Coloniæ. Sulpitius Achajæ Prætor ad Ciceronem (3) scribit se *ab Athenis ire in Boetiam*, *ut*

reli-

(1) In Verrem lib. 3. (2) In Pisonem, quod crimen sæpe ibidem refricat, & in Orat. ad Pontifices. (3) lib. 4. epist. 12.

reliquam jurisdictionem absolveret; in liberos autem populos, qui in sua potestate sint, suoque jure, & libertate utantur, quid erat cur a Romano Prætore jus diceretur? Narrat insuper Pausanias (1) ex omnibus, qui Achajam proprie dictam incolerent, solis Patrensibus concessisse Augustum, ut libertate uterentur. Aliquam igitur immunitatem, aliquem libertatis fructum omnibus universim Achajæ populis degustandum oblatum fuisse necesse est, unde ratione aliqua omnes vere liberi dicerentur; nequaquam vero omnes omnino, & cumulate liberos fuisse; sed eos dumtaxat, quibus singulis decreta nominatim fuisset a Senatu libertas. Et duplex hoc in Achajæ populis libertatis genus in eadem oratione in Pisonem idem Cicero secernere videtur, dum ait: *mitto ereptam libertatem populis*; deinde subdit: *ac singulis, qui erant affecti præmiis nominatim, quorum nihil est, quod non sit lege julia, ne fieri liceat, diligenter sancitum*; & in orat. ad Pontif. *nonne nominatim populos liberos multis S. C. etiam recenti lege so-*

 ceri

(1) In achaicis: αὔγουστος δὲ ἢ τοῦ ὀρθῶς πλὴν νομίζων κεῖσθαι καλῶς τὰς πάτρας, ἢ κατ' ἄλλην τινὰ αἰτίαν ἐπανήγαγεν αὖθις ἐκ τῶν πολισμάτων τῶν ἄλλων τοὺς ἄνδρας ἐς τὰς πάτρας προσσυνῴκησε δὲ σφίσι, καὶ ἀχαιοὺς τοὺς ἐκ ῥυπῶν καταβαλὼν ἐς ἔδαφος ῥύπας. καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις ἀχαιῶν μόνοις τοῖς πατρεῦσιν εἶναι.

teri ipsius liberatos &c. ac quæ antiquis Senatus decretis Achajæ civitates singulæ nominatim libertatis beneficium fuerint consequutæ, eas enumerat, distincteque denotat Plinius, atque hujusmodi quoque Zacynthum fuisse declarat: *in alto* (1), ait, *Cephalenia, Zacynthus, utraque libera*; ad quos autem Achajæ populos hanc non ille subjicit libertatis notam, eos partim adhuc accipere a Romanis leges, partim adhuc vectigales esse, merito judicabimus. Sane, qui ab hisce Plinii notis oculos dejiciat, facile in Achajæ populorum autonomia, absolutaque libertate dignoscenda aberrabit, cum illa præsertim libertatis in Græcia jactatio per ipsam Romanorum assentationem licentior in dies increbrescens sin minus omne variæ libertatis discrimen tandem sustulit, mira certe offuderit caligine, ut vel de ipsarum Athenarum libertate quo tempore ibi D. Paulus Apostolus evangelizabat, idest sub Claudio; in diversa abeant Patres, & liberas Theophilatus affirmet [2]: *κἂν γὰρ*, ait, *οἱ ῥωμαῖοι τότε ἐκράτουν, ἀλλ' οὖν αὐτονόμους ἀφῆκαν Ἀθηνας*: quamvis Athenis tunc Romani imperarent, suis tamen, ut legibus viverent, relique-rant;

(1) Cit. l. 4. cap. 12.
(2) Ad cap. 17. Act. Apostol.

rant ; contra Chryſoſtomus (1) : οὐκέτι οἱ ἀθλίωχοιοι τοῖς οἰκείοις νόμοις ἐχρῶντο, ἅτε ὑποπεσόντες ἤδη τοῖς ῥωμαίοις : non propriis adhuc tum legibus Athenienſes, uti diu jam a Romanis ſubacti, utebantur. Neque dubitationem ſatis fortaſſe hoc loco adimit Plinius, qui non nuda illa, ac ſimplici, & conſueta, atque, ut ita dicam, legitima Athenas liberas nota pronunciat, ſed inſolito verborum ornamento nimis pro præſenti re honorifice illarum predicat libertatem. *Athenæ* (2), inquit, *libera hæc civitas, nec indiga ullius præconii amplius, tanta claritas ſuperfluit*. Neque Strabo, qui Συλλας (3), inquit, poſt infamem illam cædem, vaſtitatemque Athenis illatam, ὁ τῶν ῥωμαίων ἡγεμὼν τῇ πόλει δὲ συγγνώμην ἔνειμε, καὶ μέχρι νῦν ἐν ἐλευθερίᾳ τέ ἐστι, καὶ τιμῇ παρὰ τοῖς ῥωμαίοις: *Romanorum imperator Sylla civitati quidem ignovit, eaque uſque hodie & libertate fruitur, & in honore a Romanis habetur*. Neque Tacitus (4), qui Germanici eam in urbem adventum deſcribens: Hinc *ventum*, ait, *Athenas, fœderique ſociæ, ac vetuſtæ urbis dedit, ut uno lictore uteretur*. Nam Appianus teſtatur, Syllam leges tum Athe-

(1) Ibidem. (2) l. 4. cap. 7.
(3) l. IX. (4) Annal. II.

nienfibus dediffe affines iis, quas Achaico confecto bello Romani impofuerant: *Sylla* (1), inquit, *Aristionem, & qui cum eo arma sumpserant, aut imperio, & magistratu fungebantur, vel quippiam in leges Græciæ primum subactæ impositas a Romanis conati fuissent, gladio percussit, cæteris pepercit; omnibus vero leges propo similes illarum, quas primitus Romani imposuerant, & ipse imposuit:* τοῖς δὲ ἄλλοις συνέγνω, καὶ νόμους ἔθηκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὁρισθέντων. Neque quicquam proxime fubinde de ea feveritate detractum fufpicari poffumus, cum Augufto aliquantum acerbo fuerint ufi Athenienfes, cum ob honorem ftatuæ Bruto, & Caffio tributum, tum ob perpetuum Antonianorum partium ftudium; fuerintque deinceps caftigati, cum novas res contra Romanos molirentur C. Poppæo Sabino, & P. Sulpitio Camerino Cofs., quod in Chronico refert Eufebius; & fub extremam Augufti ætatem bello iterum a Romanis petiti, & repreffi, ut fcribit Orofius (2): *Cunctis*, ait, *gentibus una pace compositis Jani portas tertio ipse clausit, quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo consignavit,*

(1) In Mithridatico. (2) L. vi. cap. 22.

vit, nec prius umquam, nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ Atheniensium sedicione, & Dacorum commotione patuerunt. Quare ita sub Augusto Ovidius:

Quid Pandionæ restant nisi nomen Athenæ?

Quapropter magnopere vereor, ne non solidum libertas a Plinio & Strabone commemorata exprimat libertatis beneficium, sed uberiorem aliquanto habeat honoris significationem, & gratiæ, qua non Athenas modo, sed Athenarum in primis intuitu cunctam floruisse sub Claudio Achajam testatur Svetonius, qui Claudium refert, dum Achajam, quam ad suam pridem curam transtulerat Tiberius, Senatui restitueret, in ea P. C. commendanda dixisse, (1) *gratum sibi eam provinciam esse communium studiorum commercio*. Inducta apud Tacitum Atheniensium cum Romanis fæderis, societatisque a Germanico mentio manifesta non vacat assentatione, quippe quæ notet fædus, societatemque ante bellum primum Macedonicum initam, de qua Livius; neque defuit Germanico obtrectator Gn. Piso, [2] qui insito etiam odio eam rem in invidiam

(1) In Tiberio Claudio Druso. V. cap. 25. & 42.
(2) apud Tacitum annal. 11.

revocans culparet, quod nimia comitate athenienses tot cladibus extintos, nequaquam amplius athenienses, coluisset. Ambitiosius postremo ab imperatoribus modo præcipuis civitatibus, modo Achajæ universæ largita libertas fuit; verumtamen nomine, quam re splendidior, & ostentata magnifica specie potius, quam vere tributa. Ablatam Senatui [1] Achajam, Sardinia (2) hujus loco illi tradita, sibi propriam habendam, Nero libertate donat universam, cum tamen rapinis, cædibusque adeo prius crudeliter exinanisset, ut nemo verius, nemo fædius illam exuisse libertate censendus sit. *Perinde*, ait Xiphilinus [3], *ac si ad evertendam bello græciam missus fuisset, totam prorsus afflixit, verbo liberam, re vera penitus depositam reliquit; quis enim & viventium proscriptiones ab eo factas, & fanorum spoliationes potis est recensere?* Vix illi facultas dignos prisca libertate spiritus capiendi in posterum amplius, in spemque melioris fortunæ se se erigendi remansit. Quamobrem qui eam, qualiscunque afflare libertatis aura sub Nerone videri potuit,

tuit,

(1) Svetonius in Nerone.
(2) Pausanias in Achaicis.
(3) in Nerone.

tuit, continuo oppressit, Vespasianus, cum immani auri contrahendi cupiditate flagrans intolerandum Achajæ a se rursus in provinciam redactæ censum imponeret, dixisse fertur [1]: ἀπομεμαθηκέναι τὴν ἐλευθερίαν τὸ ἑλληνικόν: *dedidicisse jam libertatem græcorum genus*. Utique sub Vespasiano, cum quæ cunctis Achajæ populis ab Imperatoribus, tum quæ singulis a Senatu antiquitus decreta libertas fuerat, universim interiit, neque umquam postea revixit. *Tunc deinde*, ait Paulus (2) Orosius, *sine ullis belli tumultibus in immensum respublica Romana provehitur, siquidem Achaja, Lycia &c. redactæ in provincias Romanis judicibus, legibusque paruerunt*. Honorariam quamdam nihilominus Achajæ libertatem, & magnificis jactare Romani verbis, & ingentibus, qui sunt ad Gallienum usque imperatores insequuti, fovere, & prosequi beneficiis non destiterunt. Nerva, *quicquid*, inquit ejus in vita Aurelius Victor, *antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit; afflictas civitates relevavit*. Hadrianus tam effusa est Achajam provinciam benignitate com-

[1] Pausanias in Achaicis. (2) L. VII. cap. 9.; eadem apud Eutropium l. VII., & Svetonium in Vespasiano cap. 8.

plexus, tantis largitionibus, donisque auxit, & sumptuosis undique operibus ornavit, ut non ingratis Achajæ restitutor dici, & inscribi concupierit. In omnium sunt manibus illius nummi referentes in aversa parte Imperatorem stantem, qui manu jacentem fæminam, nempe Achajam, sublevat, inscripti: *Restitutori Achajæ*: Quæ per reliquos deinceps Imperatores partim conservata, partim aucta beneficia, ab Antoninis vero fuere etiam insigniter cumulata. Athenæ quidem, & Sparta, propter vetustæ inibi gloriæ memoriam, literarum, legumque sedem, & officij magisterium, longe reliquarum Achajæ urbium Romanorum studiis, ac Imperatorum liberalitate honoratiores eminebant. Eo suos Romani quique ad culturam ingenij, institutionemque morum mittebant liberos, compluresque Athenis domicilium, civitatem, magistratus appetebant. Hadrianum multo ante, & Gallienum deinde, tum, cum Imperatores sunt renunciati, archondes Athenis fuisse, Spartianus, & Trebellius tradunt. Quamquam Corinthus, Patræ, Nicopolis, ita juste cum illis de Augustorum munificentia certabant, ut re plus una etiam præstare viderentur. Nostram quoque Zacynthum non plane Imperatorum favore, &

gra-

gratia destitutam complures Cæsaribus cusi a Zacynthiis ostendunt nummi. Cœterum cujusmodi ea libertas esset, quæ tantopere prædicabatur, & cujus nomine tantus Achajæ a Romanis honos habebatur, non parum scite, & eleganter Plinius Nepos describit in epistola ad Maximum Proconsulem (1). *Cogita te*, inquit, *missum in Provinciam Achajam, illam veram, & meram Græciam, in qua primum humanitas, literæ, & fruges inventæ esse creduntur: Missum ad ordinandum statum liberarum Civitatum, idest ad homines maxime liberos, qui jus a natura datum virtute, meritis, amicitia, fædere, denique & religione tenuerunt.. nihil ex cujusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex jactatione decerpseris. Habe ante oculos, hanc esse terram, quæ nobis miserit jura, quæ leges non victa acceperit, sed petentibus dederit. Athenas esse, quas adeas; Lacedæmonem esse, quam regas, quibus reliquam umbram, & residuum libertatis nomen eripere, durum, ferum, barbarumque* est: quod ipsum plane barbari Gallieno imperante irruentes effecerunt. Sed antequam postremas hostili immanitate importatas Achajæ calamitates, quod ter-

(1) L. 8. epist. 24.

tertio eram loco pollicitus, commemoro, Zacynthiorum nummorum, quotquot videre potui, seriem conspiciendam exhibeo.

Cusorum a Zacynthiis nummorum series.

I. Argenteus medii moduli non ita pridem Zacynthi effossus; possidet vir optimus Johannes Grammaticopolus Zacynthius.

In anteriori facie Caput laureatum.

In aversa Apollo juvenili specie nudus in rupe considens, & lyram plectro pulsans cum epigraphe ZAKΥΝΘΟΣ.

II. Æreus parvi moduli editus a Welerditio in suo itinere in Dalmatiam, & Græciam.

In anter. facie Caput Divinum.

In aversa Tripus Delphica, intra cujus pedes Sol radians cum epigraphe ZAKΥΝΘΙΩΝ.

III. Ær. ex Musæo Theupolo serie 5. nummorum græcorum in Antonino Philosopho pag. 907.

In ant. facie: ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ. ΑΥ. caput M. Aurelii laureatum.

In aversa ZAKΥΝΘΙΩΝ. Mulier stans ulnis puerulum gestare videtur.

IV. Ær. ex eodem Musæo ibidem pag. 912.
In ant. facie ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ. ΑΥΓΟΥΣΤΗ. caput Faustinæ junioris.
In av. ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ. Juppiter dextra elata fulmen vibrans; pro ejus pedibus Aquila.

V. Ær. In ant. facie ΙΟΥ. ΔΟΜΝΑ. CEB. caput Juliæ Domnæ.
In aversa ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ. Bacchus sinistra innixus baculo, dextera racemum uvæ gestans.

VI. Ær. ex citato Musæo Theupolo ibidem in Anton. Caracalla pag. 987.
In anter. facie ΑΥΤΟΚ. ΑΝΤ. caput Caracallæ laureatum.
In aversa ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ. Juppiter seminudus dextera hastam tenens.

VII. Ær. ex eodem ibidem.
In anter. facie caput Caracallæ.
In aversa ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ. mulier stans dextera elata super aram, sinistra cornucopiam tenens.

VIII. Ær. ex eodem ibidem; & apud Patinum in thesauro, & alibi.
In anter. facie ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΑΝΤ. caput Caracallæ.

In

In aversa ZAKΥΝΘΙΩΝ. satyrus stans capite cornuto pedibus hircinis.

IX. Ær. In anter. facie ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. caput Caracallæ.

In aversa ZAKΥΝΘΙΩΝ. Satyrus stans ut proxime superiori nummo tyrsum, & pampineum ramicem sinistra tollens.

X. Ær. in ant. facie ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. caput juvenile Caracallæ coronatum.

In aversa ZAKΥΝΘΙΩΝ. Juppiter stans dextera fulmen stringens, pro pedibus Aquila.

XI. Ær. ex Musæo Theupolo ibidem in Geta pag. 1002.

In ant. facie -- Π. ΣΕΒ. -- ΓΕΤΑΣ. caput Getæ radiatum.

In aversa ZAKΥΝΘΙΩΝ. vir seminudus radiatus dextera hastam tenens.

XII. Ær. ex eodem ibidem in Elagabalo pag. 1016.

In anter. facie ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. caput Elagabali laureatum.

In aversa Vir stans dextera vas, sinistra

ſtra caniſtrum cum fructibus geſtans cum epigraphe ZAKΥNΘIΩN.

XIII. Ær. in anter. facie caput Romani Imperatoris coronatum, quod facile Caracallæ literis licet detritis internoſcas.

In averſa ZAKΥNΘIΩN. mulier ſiniſtra baculo innixa dextera haſtam puram tenens.

XIV. Ær. ex Muſæo Theupolo ſerie 9. populorum, & urbium pag. 1308.

In ant. facie Caput muliebre.

In averſa. ZA. in corona laurea; ZA. cynthus interpretatur editor; vide tamen ne ſit auri coronarii votivi LXXI. pondo.

Qui ordine, quintus, nonus, & tertiusdecimus, ſunt nummi, eos poſſidet Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Jacobus Gradonicus, Quinqueremis Venetæ Claſſis Gubernator, qui ad eximia cætera præſtantis animi, & ingenii ornamenta, & hanc ſtudioſiſſime percolit rei antiquæ nummariæ ſcientiam, cujus de præclaris laudibus ſilere præſtat, quam non pro dignitate dicere.

Bellorum civilium incendia, ſive in pro-

provinciam illata, sive ipsius provinciæ opibus undique correptis ibidem excitata; quod est a principibus factum conjurationis in Cæsaris necem Cassio, & Bruto, qui magnis, ut ait Orosius, exercitibus comparatis apud Athenas convenerunt, totamque Græciam depopulati sunt, ut & piratarum sub Romanis prætoribus impressiones, direptionesque, aut motus domesticos, mitto referre. Præterquamquod enim satis longum esset illa enumerando percurrere; non inde etiam universæ obvenit provinciæ deformitas, statusque immutatio; singularum autem, si quibus illa exitio fuere, civitatum ærumnas relicta provinciæ incolumitas facile relevavit. Quin neque Mithridaticum, quod primum externum sub Romanis occurrit in Achaja bellum, valde attinet commemorare, quod illud Syllæ virtus celerrime depulerit; atque multo tum infestiorem Romani ducis victoriam provincia senserit, quam hostium crudelitatem. Fuit præterea, sin minus periculi, certe incommodorum ejus belli omnino expers Zacynthus; quo simul se cum classe, posteaquam maritima quæque circum populabundus pervaserat, recepit Mithridaticus Imperator, castris vixdum metatis, Romanorum improvisa manus ho-

ctu

ctu adoriens, magno cum tumultu fugavit, quod supra ex Appiano retulimus. Alterum sesquitertio post sæculo sub Valeriano, & Gallieno, (1) immensa Gothorum alluvie, quæ Istrum transgressa, veteribusque illius Imperii Romani claustris tum primum effractis, terribili impetu, & vi se se in Achajam, Macedoniam, Pontum, Asiam latissime effudit, coortum est bellum, feritate, & multitudine hostium, cædium, vastitatumque crudelitate, amplitudine, diuturnitate, nulli post hominum memoriam maxime infando bello non comparandum, quo non continentes modo terræ, sed & maria late circum per quindecim amplius annos conflagrarunt, ut vere, ait S. Augustinus [2], mundi interitum impendere, metuere tum mortales potuerint; ac nonnisi post trecenta millia Claudii Imperatoris (3) virtute barbarorum cæsa, duo millia navium depressa, ingentes funerum, quas fames, sævaque lues intulit, vastitates restinctum. Mirari hic, opinor, desinas, sin minus justa tibi Zacynthi veterum monumentorum indicia hodie subeant conspicienda. Gothica nimirum rabie non vexata modo,

& pes-

(1) l.vii.cap. 22., Eutrop., Victor, Trebell. & Zosimus 1.
(2) Epistola 80. [3] Trebellius, Eutropius, Victor &c.

& pessundata, sed afflicta, eversa, ac suo pene solo funditus usquequaque revulsa provincia Achaja fuit. *Græcia*, (1) inquit Orosius, *Macedonia*, *Pontus*, *Asia Gothorum inundatione deletur*.

Borealem Rom. Imperii limitem, quem validissimis legionibus super amnium ripas locatis muniverat Augustus, deducto inde milite omnino nudavit Aurelianus. Hinc sæculo vixdum exacto immanes rursus Gothorum aliorumque barbarorum cum ipsis consociatorum irruptiones [2] sub Valentiniano & Valente Imperatoribus geminæ pene atrocitatis in Achaja spectaculum instaurant, quos licet armis fractos fœdere dein sibi conciliarit Theodosius, acceptosque in ditionem agro donarit; illorum tamen temporum calamitates hisce S. Hieronymus lachrymis prosequitur in Nepotiani epitaphio: *Horret animus temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, & alpes julias, quotidie romanus sanguis effunditur; Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam*, *cun-*

[1] iisdemque verbis Ado Viennensis in Chronico ad an. 257. & Tiro Prosper Aquitanicus.

[2] Vopiscus, Zosimus, & reliqui supra citati.

cunctasque Pannonias Gothus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt---Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus orbis ruit---Quid putas nunc animi habere Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, (adde, si lubet, Zacynthios) *cunctamque Græciam, quibus imperant barbari; & certe paucas urbes nominavi, in quibus erant regna non modica.* Hæc ille sub Theodosii Magni obitum, quo tempore evocatos a borea barbaros imperii proditor Ruffinus in Thraciam, Achajam, Asiamque de integro immittit. Quare Claudianus in Ruffinum l. 2. ait:

--Geticis Europa catervis
Ludibrio, prædæque datur frondentis ad usque
Dalmatiæ fines, omnis, quæ mobile ponti
Æquor, & Adriacas tellus interiacet undas,
Squallet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Instar anhelantis Lybiæ, quæ torrida semper
Solibus humano nescit mansuescere cultu.
Thessalus ardet ager, reticet pastore fugato
Pelion, Æmatias ignis populatur aristas.

Eheu vero quam diuturna barbarorum, bellicorumque tumultuum Achaja sedes! illis iterum sub Theodosio juniore, neque semel (primum (1) Coss. Aetio 3. & Symmacho, tum sub Justiniano (2) post 17. Basilii Consulatum) in Achajam irrumpentibus; neque prorsus factus irrumpendi finis, donec, ut loquitur Sydonius Apollinaris, *rupta tumultu*

Barbaries totas in Europam transfuderit arctos.

Quin tanta illa barbaries, quæ magnam partem per Achajam transmissa totam undique Europam postea obruit, tamquam quoddam mare fervens, & exæstuans, in orientem sæpe rursum, atque adeo in Achajam redundavit, novarumque ab occidente irruptionum veluti procellas impegit, quas licet obiecto impigre exercitu Imperatores facile sustinuerint, atque represserint, Vandalica tamen irruptio nequaquam levi tantum mentione est prætervehenda, cum supra cæteras ferox, tum inauditæ antehac prorsus in Zacynthios cives adhibitæ atrocitatis exemplo in omne ævum execrabilis. Gensericus immanissimus Vandalorum Tyrannus post Africam omnino occupatam,

totam-

(1) Marcellinus sub his coss. (2) Agathias l. 5.

totamque, ut ait Ado (1) Viennensis, *unum quodamodo martyrem effectam*, quærens unde suam amplius prædæ, sanguinisque catholicæ fidei cultorum sitim expleret, ad piraticam se convertit. *Post Valentiniani itaque obitum, quocum illi sancita pax fuerat, comparata classe in Siciliam*, ait Procopius(2), *atque Italiam quotannis vere novo se invehebat. Ibi urbibus partim missis in servitutem, partim solo æquatis, cum & omnia rapuisset, ac regiones non modo pecuniis, verum etiam incolis exhausisset, in ditionem Imperatoris Orientis irrupit, Illyricum, Peloponnesi item partem maximam, nec non adiacentes insulas populatus, in Siciliam denuo, atque Italiam exscensu facto omnes in orbem oras incursabat, agebat omnia, ferebatque. Aliquando in portu Carthaginis, cum navem conscendisset, ac vela panderentur, quærenti gubernatori ad quod mortalium genus cursum intendi juberet, respondisse ferunt utique ad illud, cui Deus esset iratus*, Divini se læsi numinis, quemadmodum Hunnorum Tyrannus Attila, ultorem superbe prædicans. Ita nulla ex causa, in quoscumque sors ferret, irruebat.

(1) In chronico. (2) Procopius de bello Vandalico l. 1. cap. 6.

Vandalicarum incursionum inter postremas hanc in Græciam impressionem, ut Procopius, ita & Victor Uticensis describunt; factamque constat sub Leone I. Imperatore; at quoto Leonis Imperii anno non plane liquet. In nonum conjici optime posse visum fuit Baronio, quod Africanam navalem, terrestremque ingenti apparatu eam ob caussam susceptam expeditionem tertio inde anno Leo confecerit. Ubi primum inaudita evehi in Orientem piratica Genserici classis sexaginta inusitatæ, ut Cedrenus refert (1), magnitudinis navibus coacta, ingentes undique per urbes motus fieri. Alexandriam quoque, vano de proximo ad illam Genserici appulsu rumore vulgato, tanta trepidatione consternari, ut de illius perturbatione sollicitus Imperator [2] Leo S. Danielem Stylitam adierit a singulari ejus prudentia, precibusque apud Deum consilium opemque petens, qui cælitus edoctus mox iubet Imperatorem bono animo esse, confirmatque, Gensericum re infecta abiturum, quod patefecit eventus. Nam, ut Procopius (3) narrat, conversa Genseri-

cus

(1) in suo historiarum compendio Tom. II.
(2) in vita S. Danielis apud Surium.
(3) de bello Vandalico l. I. cap. 22. Γιζέριχος γὰρ ἐπισκήψας ποτὲ τοῖς ἐν Πελοποννήσῳ χωρίοις Ταινάρῳ προσβαλεῖν ἐνεχείρησεν·

cus in Peloponnesum vicum Tænarum tentasset, confestim repulsus non sine gravi suorum clade turpiter, incompositeque inde abscessit. Hinc ira ferreus in Zacynthum prosilit, ibique cæsis obviis quamplurimis, redactisque in servitutem optimatibus quingentis (tanta hæc tum urbs civium colebatur frequentia) raptim vela facit. In mediam provectus Adriam cæca rabie sæviens in captivos illos Zacynthios minutatim concisos invisa crudelitate sparsit in fluctus. Scilicet & hoc illa vidit ætas Zacynthiorum civium laniehis superfusum media innatante barbarorum classe Adrianum mare christianas oras circumfluere, & Zacynthio cruentis sanguine fluctibus incæstare! Facinoris indignitatem deinde auxit Basilisci Verinæ Augustæ fratris, hominis Ariani perfidia, qui classem, cui præerat in Vandalici nominis excidium a Leone instructam, hosti per scelus tradidit incendendam. Sexagesimo verumtamen post anno a clarissimæ pietatis, bellicæque virtutis duce Belisario Van-

ἐνθένδε τε κατὰ τάχος ἀποκρουσθεὶς, καὶ πολλοὺς τῶν οἱ ἑπομένων ἀποβαλὼν ἀνεχώρησεν οὐδενὶ κόσμῳ. διὸ δὴ τῷ θυμῷ ἔτι ἐχόμενος Ζακύνθῳ προσέσχε, καὶ πολλοὺς μὲν τῶν ἐν ποσὶ κτείνας, τῶν δὲ δοκίμων ἐς πεντακοσίους ἀνδραποδίσας δι' ὀλίγου ἀπέπλευσεν, ἐπειδή τε γέγονεν ἐν μέσῳ τῷ ἀδριατικῷ καλουμένῳ πελάγει, ἐνταῦθα κρεουργήσας τῶν πεντακοσίων τὰ σώματα πανταχῇ τῆς θαλάσσης οὐδὲν ὑπολογισάμενος ἔρριψεν.

dali penitus debellati dedere, inquit Procopius [1], pœnas facinorum, quæ in Romanos tot per annos, ac præcipue in Zacynthios perpetraverunt. Cum, qui hæc ſcripta reliquit, Procopius, tum, qui immortalia hæc Chriſtianæ reliquit poſteritati geſta, Beliſarius, ea ex ipſa Africana navigatione cum claſſe (2) aquatum in Zacynthum deflexerunt. Refricatis hic veteribus ad conſpectum, & congreſſionem vulneribus hujuſne illi tum urbis vaſtitati, & civium orbitati illachrymarint magis, an ſe in tantæ crudelitatis ultionem exacuerint, difficile dictu eſt. Revulſo ſub Phoca, ejuſque ſucceſſore Mauritio, altero ad Euphraten Romani Imperii limine, novis illud etiam ab Oriente patere incurſionibus, Perſarum primo, qui totam momento Palæſtinam, Aſiamque occuparunt, poſtque hos Mauritii virtute pulſos, retruſoſque intra antiquos fines, Saracenorum, poſtremo Turcarum, quorum etiam impetus, poſt Francorum in ea dominationem, Catalaunicamque irruptionem, A-

cha-

(1) ibidem: *ἀλλ' ἔτισαν ἐνταῦθα τὴν δίκην ἁπάντων ὥσπερ ἐς Ῥωμαίους εἰργάσαντο, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐς Ζακυνθίους.*

(2) L. 1. c. 13. idem Procop. de bello Vandal.: *bis peractis Methone ſolverunt, & in Zacynthi portum delati cum ibi aquati eſſent, quantum ſatis futurum erat tranſmittentibus mare Adriaticum cum omnibus inſtructi rebus vela fecerunt.*

chaja universim excepit. Quamquam multis jam antea sæculis provincia esse Achaja desierat.

Provinciis paulo post Heraclium Lybicum Romani Imperii partim ereptis, partim fæde mutilatis novam inde fieri cæptam illius descriptionem in Themata, seu præturas, Constantinus Porphyrogenitus tradit; quæ Themata novem & viginti sua memoria recenset, quorum duodecim, quod in Europa essent locata, Occidentalia, reliqua Orientalia appellaverunt.

Discissa tunc duo in Themata & Achaja fuit, Peloponnesum, & Helladem; Zacynthus vero, cæteræque Jonio sitæ in mari insulæ penitus ab Achaja submotæ, & Longobardiæ Themati adjunctæ; quoto fuerint anno adjunctæ, non satis succurrit affirmare; Longobardiæ (1) certe Themati ad Leonem Philosophum usque adhæsere, adeoque per ducentos quinquaginta minimum annos eodem Zacynthii cum Italis jure, & fortuna usi continenter fuere sub Exarchis primum, dein sub Patriciis, Siciliæque Præfectis. Leo postmodum, tota penitus Italia, post Longobardos, Saracenosque, per Francos non ita pridem O-

(1) Thema xi. Longobardiæ infra describit Porphyrogen.

rientali erepta Imperio, eas insulas a Longobardiæ Themate abstractas in novum Cephaleniæ Thema seorsim redegit. ἰστέον, ait Porphyrogenitus (1), ὅτι ἡ κεφαλληνίας στρατηγὶς, ἤγουν τὰ νήσια, τοῦρμα ἦν τὸ παλαιὸν τῆς λογγοβαρδίας· ἐπὶ δὲ λέοντος τοῦ φιλοχρίστου δεσπότου γέγονε στρατηγίς. *sciendum, quod Cephaleniæ prætura, illæ videlicet insulæ, turma erant antiquitus Longobardiæ, Leone autem pio Imperante factæ sunt prætura.* Ita porro istud Cephaleniæ Thema, seu præturam idem describit.

Septimum Cephaleniæ Thema.

Cephalenia Peloponneso comprehensa est; numquam enim ex numero Thematum fuit, neque celebris quisquam ex ea oriundus, nisi clarissimus apud Homerum Ulisses, ac pariter etiam Zacynthus insula, & Leucas, & Ithaca Ulissis patria, & aliæ quædam parvæ insulæ, atque ipsa Corcyra, Pheacum Civitas, Alcinoi Regia, quem quidem divinus Homerus in cœlum laudibus extollit.

Ex hac novissima descriptione ad sæculum usque decimum tertium administrato deinceps Imperio per annos ultra trecentos Cephaleniæ Thematis pars Zacynthus fuit. At sæculo decimo tertio ineunte univer-

ver-

[1] De administrando imperio cap. 50.

verso Franci potiti Imperio illud inter se partientes maximam partem in regna, ducatus, despotatus, comitatusque describunt; atque tum primum Zacynthus, & Cephalenia Comitatus sunt appellati. Nicephorum Gregoram merito notat Ducangius (1), qui ante hæc tempora, atque sub Constantino M. Principatum in Peloponneso, & Magnum Ducatum Athenis excogitaverit. Cepaleniæ, & Zacyntho principio Francica quædam Familia, quod omnes scriptores tradunt, per annos amplius centum insigni Comitum Palatinorum titulo imperitavit. Cujus gentis ea Familia fuerit incompertum. Attamen gentilitium ejus stemma, eques videlicet clypeum liliis respersum læva gerens, districtum dextera ensem, adhuc visitur in pastillo quodam cereo, quo obsignantur duo codices, alter pactorum dotalium ob Mariam Comnenam Despotæ Ætoliæ filiam desponsam Johanni I. Comiti Cephaleniæ & Zacynthi anno 1304. exaratus; alter census Episcopalis Cephaleniæ descripti anno ab O. C. 6772., qui incidit in annum Christi 1264. sub Rechardo Comite, & Henrico Episcopo. Illius exemplar legi-

(1) Ducangius in notis ad Niceph. Gregoram histor. Byzant. l. 7.

legitur in appendice monumentorum ad Villarduini continuatorem Philippum Movskes Canonicum Tornacensem recentis Venetæ editionis, iste vero asservatur in archivo Episcopali Zacynthi. A Venetis, quorum in ditionem hæ insulæ, & haud exigua insuper Achajæ pars pridem venerant, & donatos Comites illos fuisse insulis, & eo honestatos titulo Veneti produnt (1) scriptores, quorum etiam in clientela, & patrocinio, quemadmodum Goffredus Villarduinus, & quicumque primo aliquem in Achaja dominatum capessivere, aliquandiu permanserunt. Novorum deinceps jungendorum fæderum studio ad alios varie dilapsos, erga illos fidem, & obedientiam professos sæpe legimus; qui vero postremi Comites sunt insulis dominati ad Venetorum rursus confugientes tutelam iis ultro se penitus dediderunt [2].

Post Francigenas eodem perinde ac illi Comitum Palatinorum titulo Cephaleniis, & Zacynthiis jura dederunt Johannes Caroli II. Siciliæ Regis filius alter, dein Ro- ber-

(1) Sabellicus decad. 1. l. 8., Ramn., Sansovinus in vita Henrici Danduli, & recentissimus scriptor rerum Venet. Jacobus Diedo Senator l. 5. ad an. 1206. pag. 81., & l. 5. pag. 84. ad an. 1215.

[2] Infra, cum de Carolo de Tocchis, qui anno 1430. imperitabat, sermo erit.

bertus Achajæ & Tarenti Princeps Catharinæ Valesiæ nuncupatæ Imperatricis C. P. filius, tum Leonardus de Tocchis, ejusque deinceps liberi, ac nepotes per annos prope centum & viginti. Comitum Palatinorum sedes Cephalenia erat, Zacynthum autem per familiarem isthuc abs se dimissum, quem *aulicum*, & sicubi Despotatus fulgent honore, *magnum domesticum* (1) appellant, gubernabant.

Palatinorum Cephaleniæ, & Zacynthi Comitum series, eorumque fortuna ex laudato fere Villarduini continuatore exscripta, penes quem sit & dictorum fides.

Anno

1207. Nobilis vir Majo Francigena Comes Cephaleniæ & Zacynthi. Ita illum hoc ipso anno nominat Innocentius III. regest. l. x. epist. 33. & 128. Majo personæ nomen potius quam gentis crediderim, siquidem & cæteros insularum dominos Comites Palatinos personæ non gentis nomine nuncupatos videmus. Scriptores cæteri plerique Gallum, nonnulli Cajum, sive Gajum appellant.

1236. Qui proxime Majoni succedit, cujus

(1) Ex actis, quæ supersunt, illorum Comitum.

jus mihi non contigit nomen reperire, is ad hunc circiter annum Theodori Principis Epiri sororem ducit. Villarduino Achajæ Principi se & sua sistit, ut ab illo tamquam supremo Domino rursus institutus nobili titulo eadem omnia sua possideat. Idipsum subinde facit etiam coram Gregorio IX. S. Pontif.

1264. Rechardus Comes Palatinus Cephaleniæ & Zacynthi ex supra memorato codice census Episcopalis Cephaleniæ descripti anno 1264.

1280. Johannes I. Comes Palatinus Cephaleniæ, & Zacynthi. Ex supra citato codice pactorum dotalium habemus Mariam Comnenam Nicephori Despotæ Ætoliæ filiam huic Johanni I. Ceph. & Zac. Comiti nuptui traditam a Patre Nicephoro, qui anno 1288. vivere desiit. Ex Maria conjuge duos suscepit liberos Johannem, & Thomam. Hunc quoque tradunt, se, & sua coram Achajæ Principe statuisse, ut rursus nobili titulo institueretur.

1312. Johannes II., & Thomas fratres Comites Palat. Ceph. & Zac., Johannis I. filii.

Johannes II. Annam Palæologam Andronici Junioris Imper. C. P. Sororem u-

xo-

xorem ducit; ex eaque filios duos procreavit Nicephorum, & N. Thomas frater mortuo Patre simultates, quas ille, dum viveret, cum Thoma Ætoliæ Despota Nicephori filio ob negatam hæreditatis paternæ communionem, quam sibi uxoris nomine deberi profitebatur, diutius exercuerat, atroci facinore diremit, sublato nimirum e vivis ipso Thoma avunculo suo, incæstoque connubio copulata sibi uxore illius, omnique eiusdem ditione occupata. Tantum scelus nova deinde, atque inaudita scelera consequuta cumularunt mirum quantum! Invidia fratrem exacuit in fratrem. Hinc fraternis ardere ubique omnia odiis, populus in partes factiose distrahi, & in mutuam cædem undique ruere, donec Thomas ab Johanne fratre confossus haud feras parricidii sui pænas dat, quemadmodum mox dat & ipse Johannes I., quem Anna uxor comperto illius de intentanda sibi nece consilio antevertit, propinatoque veneno interimit anno 1332., impuberem deinde prolem, Nicephorum nempe, cui non satis a materna tutela præsidii fore jure metuebat, Andronico Imperatori tutandum tradit.

1325. Cum Johannes Caroli II. Siciliæ Regis

gis filius hoc anno haud exigua cum classe Brundusio solvens in Peloponnesum navigaret, huc forte appulsus, quo tempore ob fraternam cædem undique armis concursaretur, educto milite tumultus compescuit, insulas subegit, subactasque sua tenuit ditione.

1343. Robertus Catharinæ Valesiæ nuncupatæ Imperatricis C. P. filius Achajæ & Tarenti Princeps, Romaniæ Despota, denique etiam Cephaleniæ & Zacynthi Comes Palatinus.

1350. Sub hoc fere tempus Nicephorus Johannis II. Com. Palat. filius, Johannis Cantacuzeni Magni Domestici ope, cujus filiam duxerat, avita dignitate, fortunisque recuperatis, Cephaleniæ & Zacynthi Comes Palatinus; brevi tamen imperat bello Macedonico exstinctus.

1357. Leonardus I. de Tocchis, Comes Palatinus Ceph. & Zac. Robertus Tarenti Princeps &c. nuncupatus Imperator C. P. in ornandis, ditandisque fratribus de Tocchis mirifice impensus, propterea quod illi quoque mirifice prolixam operam in ipsius libertate procuranda impendissent, cum bello captus ab Ludovico Pannoniæ Rege detineretur, postea-

steaquam Petrum, & Carolum fratres de Tocchis pluribus feudis locupletavit, Leonardo denique fratri, ejusque deinceps posteris anno 1357. Ceph. & Zac. insulas Comitis Palatini titulo tenendas, regendasque tradit; quin & anno 1362. Leucadis Ducatu eumdem præterea auget.

1364. Carolus I. de Tocchis Leonardi I. filius, Comes Palatinus Ceph., & Zac. Duos post se relinquit liberos Carolum & Leonardum. Sic porro se in Diplomatis inscribit: Carolus Dei Gratia Dux Leucadis, Come Palat. Ceph. & Zac.

1404. Carolus II. de Tocchis Caroli I. filius, Comes Palatinus Ceph., & Zac. Guino Duci Spartæ &c., illius filia sibi nuptiis juncta, eaque paulo post parentem suum absque liberis mortua, hæres exsistit. Eo nomine amplissima regione Acarnaniæ, & Johanninæ potitus facile regium Despotæ nomen ab Imperatore C. P. impetrat. Hinc ita inscribi solitus: Carolus I. Dominus Despotatus Atthæ, Dux Leucadis, Comesque Palat. Ceph. & Zac. Alteras deinde nuptias contrahit cum Francisca Acciajuoli Rainerii Ducis Athenarum filia, nullis tamen ex illa quoque liberis susceptis moritur

ritur Johanninæ anno 1430. relictis nothis quinque, Memnone, Hercule, Turno & N. N. quibus Acarnaniæ partem testamento legans in reliquis Carolum Leonardi fratris filium hæredem instituit.

1430. Carolus III. Dux Leucadis, Comesque Palatinus Ceph. & Zac. Quædam hujus Caroli acta in Archivo Episcopali Zacynthi exsistunt, in quibus ipse appellat Carolum I. Dominum quondam, ac Patrem suum, & Franciscam Romæorum Basilissam Serenissimam matrem suam, quæ tum in vivis erat; hinc suspicor eum ab avunculo, ubi spe prolis justæ se frustratum vidit, arrogatum fuisse in filium. Hic avunculi sui nothis de Acarnaniæ portione iisdem legata litem intentans sempiternis se, quoad vixit, litibus implicuit. Quin illis imploratum opem ad finitimos Despotas, & Amurathum II. Turcarum Sultanum confugientibus, non modo coactus fuit legatam Acarnaniæ possessionem relinquere, verum etiam Amuratho se vectigalem profiteri. In Venetorum demum se tutelam recipit, eosque Dominos agnoscit. Liberos relinquit Leonardum, & Antonium. Hoc modo inscribi solitus

tus: Carolus II. Dei Gratia Dominus Despotatus Arthæ, Dux Leucadis, Comesque Palatinus Ceph., & Zac.

1460. Leonardus II. Caroli III. filius, Comes Palatinus Ceph., & Zac. Cum Meliza Lazari Bucovictz Serviæ Despotæ filia matrimonium init, ex eaque filium Carolum suscipit. Helena Palæologa mater sequuta filiam Melizam non multo post Leucade moritur anno 1464. Mortua deinde Meliza Leonardus aliam rursus uxorem ducit Ferdinando Aragoniæ Regi agnatam, idque minime facto prius certiore Maomete II., cujus ille patri Amuratho II. suam jam pridem fidem obstrinxerat, quod iniquo Maometes tulit animo; hinc arrepta Leonardum expoliandi caussa classem extemplo comparat. Leonardus perterrefactus eo nuncio, longeque impar virium ad consistendum contra, auri, gazarum, & quicquid pretiosæ supellectilis habebat, raptim convasato sollicita se fuga Neapolim corripit, ubi apud Ferdinandum Regem subsistens censu, & imperio ab illo perquam benigne ditatur. Moritur Leonardus Alexandro VI. Pontificatum gerente. Filius ejus Carolus in Maximiliani I. Imperatoris

castris diu, & præclare versatus Refrancone oppido ab illo donatur. Moritur Leone X. Ecclesiæ Catholicæ clavum tenente.

1479. Turcæ classe irruentes (1) Cephaleniam, fugato præsertim Leonardo, nullo negotio occupant, inde Zacynthum adoriuntur. Huic tunc insulæ per desertionem Leonardi Petrus Broalius dominabatur nulla re alia ad obsistendum fretus, quam Venetorum hominum ope, quorum per quotidiana cum Zacynthiis ex vicinis Venetorum in Peloponneso urbibus commercia magna hic forte consistentium frequentia tum aderat. Ubi nunciatum id Antonio Lauredano Venetæ classis Imperatori, cura suorum proxime jecti fæderis jure ocyssime a Turca Impetrat, ne quid hostiliter Zacynthi ageretur priusquam sui omnes illinc decederent. Per has inducias non Venetis modo, sed & cæteris quibusvis universim data palam libera abeundi potestas; hinc omnibus undequaque solum anxie vertentibus deserta (2) extemplo, & co-

(1) Laudatus Senator Jacobus Diedo ad an. 1478.
(2) Ex tabulis publicis Civit. Zacynth., quæ inprimis paginis vix quicquam aliud exhibent, quam primorum illorum colonorum comploratione super vastitate insulæ.

& colonis vacua facta est insula, quæ mox etiam, nisi quod cædibus est temperatum, agro & urbe vastationibus & ruinis plusquam hostili furore deformatis pacta pecunia Venetis a Turca traditur. Nova tunc ab Venetis in Zacyntho colonia est constituta, ex qua tam præclara hodierna exsistit Civitas. Ad perliberales (1) siquidem per, Venetorum in Peloponneso urbes Prætorum edictis propositas invitationes largitionis agri, tectique, certarum præterea immunitatum, atque honorum tanto ab omni parte hanc in insulam decursum est studio, ut non innumeri modo homines, familiæque, interque eas apprime spectatæ, & nobiles, sed & toti gregatim ex Elide paganorum cætus dirutis [in hoc enim prius cuncti convenerant, ne vel eorum unum, aut natalis tum soli charitas demoraretur, aut relictorum subinde bonorum desiderium revocaret] tectis, incensoque agro continuo Zacynthum commigrarint.

1499. Bello deinde Veneti varie lacessiti armis in Turcas sumptis Cephaleniam [2] vigesimo post anno expugnant. Ita

 utra-

(1) Tabulæ publ. Civit. pag. 8. a. t. (2) Spondanus ad hunc annum; & Alphonsus Ulloa in vita Caroli V.

utraque uno pene tempore potiti insula Veneti eas ad hanc usque diem cum singulari tenent incolarum beneficio, quos paterne tuentur, ac regunt; Zacynthiorum præsertim, quibus a locato in Oriente Imperio nusquam neque tamdiu, neque tanto frui licuit otio, tantisque florere opibus, artibus, ac fortunis, tum & Divina quadam erga Universam Christianam Rempublicam providentia, cujus incolumitati, ac præsidio ex hisce insulis, veluti e custodia cœlitus data, assidue incubantes classe inde continenter circumacta Jonium communi mare hosti intercludunt, imminentesque illius in subjecti Occidentis provincias impetus cohibent.

Paucis quidem ante clarissimam illam a Christianis reportatam de Selimo secundo Turcarum Rege ad Naupactum in sinu Corinthiaco Victoriam mensibus, Turcica classis trecentis quinquaginta varii generis coacta navibus in Zacynthi portum infesta se intulit (1). Duodecim armatorum millia in littus illico ad depopulandum hostiliter agrum exposita; pars in ardua insulæ scandunt, pars se se effundunt in plana,

(1) Porchacchius ad hanc insulam in suo insulario, unde narrata exscripsimus.

na, cæteri per littus ædificiis frequens di-ſcurſant. Præfectus inſulæ Paulus Contarenus ſingulari vir prudentia, ac magnitudine animi omnibus intra urbis mænia receptis centum triginta Zacynthios expeditos equites alacritate, & viribus præcipuos ad evertendos a populatione hoſtes emittit, qui excurſionibus, tumultuariiſque præliis multo majorem pro eo numero cædem, terroremque intulerunt. Præ pudore in iram hoſtes verſi diviſo quadrifariam agmine urbem ſubeunt, & a quatuor partibus oppugnare tentant. Frequens jam per mænia militibus immixta Zacynthiorum civium turba diſpoſita Contareno ſedulo circumeunte, & ad partita quibuſvis munia incitante qua maxime confertus ſuccedere mænibus, & appropinquare conatur hoſtis, aſſiduo ignitarum glandium pilarumque imbre immiſſo ſubmovet, dilapſumque paſſim ſtationibus crebræ equitum eruptiones ad naves redigunt; & cum alius quoque minime vanus incideret animis metus, ne Veneta, quæ haud procul aberat, ſuperveniens claſſis a mari intercluſos opprimeret, raptim e portu movent, & quin ullam nitentiſſima inſula calamitatis inde labem ſuſceperit, aliquanto, quam ante fuerat, abs territo, & fugato ſtrenue ho-

 ſte

ste ornatior relinquitur; summo vero etiam eam in omnem memoriam decore perhonorificum tum a Veneto Senatu de Zacynthiorum fide & virtute luculente perscriptum auxit judicium.

Duplici constat hodierna Zacynthus urbe, altera, ut diximus, summo sita in monte, arcem vocant, mænibus circumdata, aliisque vallata munimentis, at ædibus, incolisque nunc infrequenti, quam præter insulæ præfectum, duosque Venetos Patritios, quibus ille in consilio adhibitis judicia exercet, Prætoriam Curiam, & præsidium militum pauci admodum inhabitant; modico infra eumdem montem intervallo altera, in intimum portus sinum exposita, supra ducentos abhinc annos constructa, perampla, viarum quaqua versum ductarum, locorum publicorum, ædificiorumque specie illustri, tectis, incolisque frequentissima.

Ut porro vix hodie quicquam antiqui Achivorum in Achaja generis superest, immo & vix quicquam Græci in Græcia præter linguam, eamque mirifice corruptam, ita & vix quicquam antiqui Zacynthiorum est reliquum in Zacyntho generis, prisca stirpe non jam vetustate obsoleta, verum per diuturna, & assidua bel-

la veteribus colonis qua deletis, qua pulsis, qua ultro dilapsis, novisque immigrantibus. Quamobrem tota demum per eas occasiones præsens de integro alienigenarum commigratione coaluit civitas, ipsaque nobilitas externarum coacta est gentium familiis, lectissimarum quidem, quarum nonnullæ patriciatus, despotatus, atque etiam imperii quondam in Oriente dignitate fulsere, plurimæ vero adhuc pergunt in Occidentis luce magna cum nominis claritate consistere. Urbanorum Magistratuum, quibus amplissimo Civitas Veneti Senatus munere ornatur, is est numerus, ea dignitas, præclaræque procurationes, quibus nihil, neque ad sarcta tecta tuenda, amplificandaque civium commoda, excogitari utilius, neque ad honestatem, splendoremque urbis tribui benignius possit; triremis etiam navisque per tumultus, & belli tempus in classe trahendæ communicato a Senatu cum Zacynthiis civibus honore & munere, quod Patritiæ tantum Venetæ Nobilitatis est proprium. Ejusdem authoritate Senatus, paternaque providentia, ac pietate cum omnigenorum, quorum modo sit ad usum cultumque vitæ, paratumque elegantiorem paulo præstabilis opera, artificum florent collegia,

quorum plus uno in genere adeo ſcita ſunt manufacta, quæ non modo cives ornent, ſed & alienos commoveant; tum inſtructæ paratæque publicæ patent ædes invalidis, ac ægrotis excipiendis, fovendiſque, prolique incertæ ſuſcipiendæ; publica item granaria, & æraria exſiſtunt, illa ad frumentum, hæc ad pecuniam egentibus credendam, & rurſum alia ad erogandum de publico in captivorum civium libertatis pretia.

Qua vero Venetis Præfectis, & qui cum claſſe provinciæ præſunt, Proconſulibus, provide, ſolerter, amanterque curantibus, æquitate juris, concordia animorum, & tranquillitate vivitur, & qua inſuper purgato a claſſe piratis mari quotidiana cum vicinitate commercia ſecuritate exercentur, nulla domi Zacynthiis civibus cum rerum copia non abunde ſuppetunt & incolumitatis præſidia, & ærumnarum ſolatia, ac remedia, & inſtrumenta induſtriæ, & ornamenta fortunæ, præſtoque ſunt otii non minus, quam negotii honeſtiſſimi fructus. Aſſidua navium frequentia, quas adhuc ſe invehendum præter cæteras inſulæ invitationes, & urbis, ipſa allicit opportunitas portus, cum non mediocrem affert urbi celebritatem, tum & maximas civibus conciliat negotiationes, eumque in

finem

finem Zacynthi complures ab exteris nationibus, ac Regibus viri undequaque spectati publice dimissi procuratores perpetuo subsistunt. Ad quotidianos huc Venetæ classis Ducum adventus, quorum dignitas, & amplitudo honestatem, comitas & liberalitas præclaras efficit in urbe necessitudines, certationesque officiorum, accedit Venetorum ad Turcarum Reges legatorum Oratorum huc ex itinere divertentium, Proconsulumque aliquot hoc in portu quotannis menses jurisdictionis conficiendæ gratia æstiva habentium majestas, & in civitatem omni se illis cultus, & observantiæ genere publice probantem munificentia, unde tantus exsistit urbi splendor, ut regia plane species, decorque præfulgeat. Hinc illa Zacynthiorum civium humanitas, elegantia, benignitas, hospitalitas cultus, & perliberale studium, quibus probati domi, spectati foris, benevolentia, & gratia inter suos, existimatione apud exteros præstant, & amicitiis.

Hæc vero, & eximia cætera quæque animi ornamenta, quibus longe sunt honorabiliores, quam ut pro eorum numero, & cujusque dignitate par a me possit oratio inveniri, laudibus etiam ingenii cumulant, quod & Medicorum nobilitas, &

tanta juris ſcientia, atque eloquentia præſtantium virorum facultas, & politiores impenſius colentium literas copia declarat. Nec qui ſeverioribus vacent muſis, nec qui intra intima reconditioris philoſophiæ penetralia recepti naturæ myſteriis operentur, valde requiras; eſtque non nemo, qui præcipua quadam animi, atque ingenii magnitudine pleraque hæc complexus, cum bellica laude, qua plurimi omni ævo Zacynthi excelluere, conjunxerit. Vere dicam, optimæ artes huc revectæ Italia, quo ingentibus ſtudiis, ſumptibuſque non modicis ſuos plerique omnes Zacynthii cives liberalibus quibuſvis diſciplinis imbuendos ablegant liberos, natale plane ſolum agnoſcere cernuntur, patriiſque reduces ſedibus incredibiliter lætari; quin & hinc reliquæ græciæ, ſin minus aviti ſplendoris, nominiſque recuperandi, at barbariæ, qua adhuc illa tota eſt alte obſita, gradu in eam aliquando facto Venetæ Pietatis beneficio depellendæ ſpem oſtendere. Quamobrem hoc ab laudatiſſimi civibus expectandum potius, quam exoptandum, ut commutato prolixo illo, & ſumptuoſo munere muſas huc perquam honeſtiſſime veluti quaſdam illuſtres advenas privatim deducendi, lauteque in ſuis cujuſque

jusque ædibus hospitio habendi, nobilibus publice conductis scientiarum præceptoribus firmo tandem Zacynthi, stabili, ac publico illas donent domicilio, & civitate, & ut ab ultima omnino antiquitate suas, quales vere sunt, secum perpetuo retineant, dumque suæ ipsorum sic laudi cumulate consulent, posterorum etiam præclare occurrent desiderio, & cæteræ ab ipsis Græciæ haud quaquam inaniter prælatam spem egregie confirmabunt.

His seu votis, seu verius animi præsagiis manum e tabula tollere, & calamum ponere meditantem repente erigit, totumque in se convertit Benedicti Civrani damnatorum remigum Venetæ classis Gubernatoris recens præclarissimum facinus, & plane admirandum, cujus ægre quicquam simile habeas ex omni retro temporum memoria repetere. Zacynthio forte in portu duodecimo proximas Kalendas majas [agitur autem annus Christianæ salutis supra millesimum quinquagesimus tertius] aderat paucos ante dies subvectus Dux præstantissimus, cum sub diei medium nuncius repente affertur, Myoparonem piraticum insignis magnitudinis duabus jam captis cymbis insulanorum juxta Chalcidem infeste discurrere. Aspero licet mari, quo

etiam

etiam proxima in ipſo portu nocte non mediocriter remiges militeſque defatigati fuerant, undiſque increbreſcentibus, confeſtim prætoriam triremim cogente agmen altera, cui Jacobus Antonius Marinus Rector præerat, verſus Echinadas educit, jamque diem unum, noctemque vento adverſo, ac tempeſtate magnos volvente fluctus per altum evectus; poſtera die luce prima quindecim paſſuum millia ab auſtrali Echinadum ora conſpectum procul in mari navigium eſt, atque illud ex molis forma, motuſque, quod toto ſe corpore remis ageret, ratione, curſuque erratico, prædatorium agnoſcit. Ceſſare illico cunctis, & adeſſe juſſis, Macte, inquit, animo viri, jam certa hic nos manet pugna, æque certa ut ſit victoriæ ſpes, veſtra facit virtus. Prægrandis navigii, majorque armorum moles non continuo iniquum exhibent diſcrimen animos gerentibus haud quaquam impares, quales nos eſſe decet, qui æquitate cauſſæ ſuperamus. Rem chriſtianam ſibi quiſque hoc tempore concreditam ducat, horumque circa nos intuentium populorum curas [magna enim ex editis Zacynthi, & Cephaleniæ in mare locis proſpectantium frequentia erat] agitet, qualis vis, & virtus veſtra fuerit,
talem

talem modo exiſtimantium futuram ſecuritatem ſuam. Qui hujus veriſſimus Author eſt pugnæ Deus, idem & periculo præſens aderit, ſi modo ejus pacem, opemque, ut proſpere, & feliciter eveniat, caſtis animis ex chriſtiana pietate adoremus: omnibuſque ad pii exemplum Ducis tota triremi humi ſuppliciter provolutis ſacrorum triremis curator inter complorantium commiſſa, cædentium pectora, voceſque pœnitentiæ edentium ſtrepitus Divinæ in omnes ex ampliſſima formula reconciliationis ſententiam pronunciat, & bene precatur. Eodem ſe prodit exemplo & in triremi altera Marini virtus, & pietas. Tum veluti juſte ab ipſo Imperatore J. Chriſto in certamen dimiſſi aſſurgere quiſque alacriter in opus, juſſoque inſuper milite in remos incumbere, quanta maxima poſſunt celeritate Piratæ occurrunt. Ubi in conſpectu ſunt, concitata propius in eum Civranus Prætoria triremi baliſtaria ex adverſo emiſſa pila, ni ſe propere dedat, vim denunciat, & in prælium evocat. Piratæ enim vero miraculo eſſe Veneti audentiam Ducis, qui duabus apertis triremibus, uno tantum grandioris formæ bellico tormento inſtructis, ſecum, hoc eſt cum inveterato diutina piraticæ arte, at-

que

que usu hoste, Myoparonem tectæ navi & munimento, & mole supparem ducente, aptum undequaque remigio, decem & sex majoris formæ bellicis tormentis ornatum, & sesquicentum juvenibus robore, & audacia eximiis congredi, & experiri viribus malit. Prætoriis itaque Tripolitanorum extemplo insignibus alte sublatis simili contra e balista explosa pila conditionem non impigre modo, sed pro feroci ingenio superbe etiam accipit, & exultanter. Ita satis magnis utrinque animis hora diei necdum secunda consertum est prælium, quod bellicis omnibus tormentis qua excito, qua admoto igne ingentem glandium, pilarum, struisque ferreæ vim a Myoparone in Venetas triremes, a Venetis triremibus in Myoparonem per non intermissos, nisi quantum renovandis in belli usum de integro armis satis erat, ultro citroque incursus continenter effundentibus æquo aliquandiu gestum est marte. Inclinante deinde barbaro fortuna, vulnerato jam pluribus in locis, & labefactato navigio, hinc spes, hinc desperatio animos irritat, infestioresque in certamen vertit; neque tum demum, cum non trepide, neque effuse, attamen per altum se se barbarus longissime Venetis assidue ur-

gentibus extraheret, segnior, æquiorve ab ulla parte oppugnatio fuit, adeo barbarum urebat cura, seu potius indignatio, ne sua jure hostibus expressa timoris confessio videri posset fuga, Venetos contra idipsum morari victoriam etiam atque etiam incendebat. Hac pertinacia animorum in undecimam diei ductum est prælium, nec ante diremptum, quam decusso malo, detersoque penitus antennis, velisque Myoparone, se se agendo, nedum fugæ amplius captandæ inutili, super plurimam suorum cædem barbarus ipse gravi perculsus ictu procubuit Venétis, quibus tanta necdum agnita cædes erat, mutilato undique, claudo, & pene fracto navigio demergendo intentis, cassi interim exasperato fluctibus mari evadebant ictus; quare barbarum debellandi impatiens Civranus edito signo, uno utramque triremim impetu in Myoparonem inferri, manibusque ferreis injectis ab omnibus inscendi jubet, at proditо inde propius subeunti fumo, ne incautos objiceret furentibus desperatione, ac rabie, absistere rursus incæpto jubet, ac tantum in conspectu quiescere, dum, quod proximum apparebat, aut suopte jam nutu se penitus immergat, aut vicinis inductus brevibus hæreat, quod actu-

tum

tum evenit, sicque ea solutus cura in propinquum Cyllenes portum triremes advertit. Ibi intempesta nocte ab decem Christianis recenti præda a Pirata captis, quibus [nam per prælii tempus in sentinam detrusos eos Pirata concluserat] desperatis ad extremum rebus, desertoque occulta fuga a paucis, qui supererant Myoparone, exitus, & libertas patuerat, Civrano Duci se sistendi, liberatorique suo se gratos profitendi potestatem petentibus, ultroque admissis, cuncta ex ordine aperiuntur, Archipiratæ nomen [Ismael is erat satis apud suos & genere & piratica clarus, aderat una & Ibraimus frater] feroces ejusdem spiritus, navigii munimenta, armamentorum apparatus, barbarorum robur, numerus, denique cædes, quam nonnisi duodecim, qui eam suis nunciarent, & ipsi passim vulneribus affecti, ex tanto numero evaserunt. Nostrorum interfecti decem tantum & quinque, inter quos & signifer, qui Civrani lateri aderat, unus & alter plus eo numero graviter sauciati, triremes varie labefactatæ. Postridie mane insequentis diei, qui totus curandis corporibus, & reficiendis armis, cæterisque ornamentis est datus, ut Zacynthum triremes subire visæ, tota effer-

ve-

vescentis in maris modum omnibus incessens lætitiis Civrano obviam in portum abripi Civitas, justisque omnium ordinum gratulationibus applaudens gratis clamoribus patroni, & siqui suos per eum ereptos periculo senserant, parentis nomine consalutare. Sospitis, victoris, reducis e prælio ante omnium nostrum oculos confecto Ducis, militumque, & triremium, quæ creberrimis undique plumbeis inductis glandibus, vulneribusque decoræ apparebant, spectaculo lætari, neque eo jucundissimo oculorum fructu satis exsatiari. Tanti claritatem certaminis christianum late per orbem ingenti cum admiratione Civrani nominis fama circumtulit, dignitatem vero satis, quæ unice poterat, complexa est, Veneti Senatus munifica in eximium Ducem, eosque, qui cum eo strenue in acie fuerunt, voluntas impensa; nam lecto statim in Senatum Civrani Ducis fratre, & ipsi Duci explendis modo in classe muneribus impedito amplorum suo tempore spes facta honorum, suo quoque servati tempore Marino honores, præmia militi, remigi libertas tributa, in omnesque publica liberalitas exercita, nummi etiam ex argento, & auro, neque unius tantum moduli, Civrani

ni prælio, & nomine ſignati. Hic autem illorum typus.

In anteriori parte Triremium cum piratico navigio concurſus, & in ambitu:

BELLICA CIVRANI VIRTUTE.

1753.

In averſa Leo Venetus pede altero in gentilitium Civrani ſtemma aſſurgens, & in ambitu:

VICTORI MILITI PUBLICA LIBERALITAS.

S. C.

Noſtrum equidem, Zacynthiorum dico, eſt, æternumque erit, qui lætis hinc abeuntem in certamen votis Civranum fuimus proſequuti, qui procul licet, & periculi quidem, haud tamen curæ expertes in ipſum intenti certamen, & diſcriminum magnitudinem, & Ducis e media triremi partientis curas, & ubi plurimum vel periculi aderat, vel laboris intrepide ſubeuntis, Marinique, & militum dicto impigre audientium virtutem aſſidue contemplati fuimus, quibuſque lætiſſimo ejus victoriæ fructu oculis præcepto, primis etiam licuit Victores reduces huc excipere, & exoptatiſſimæ illius gratulationis jucun-

tunditate frui, primiſque partæ a Pirata ſecuritatis dulcedinem experiri, novo proinde, eoque maximo civitate beneficio affecta, & ornamento, Civrano plurimum ſupra cæteros quouſque ſentire nos debere, eoque nos maxime honeſtatos nomine credere, & profiteri.

F I N I S.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione ed Approvazione del P. Fra Gio: Paolo Zapparella Inquiſitore Generale del S. Uffizio di Venezia nel Libro intitolato: *De Zacynthi Antiquitatibus, & Fortuna Commentarius &c. Mſ.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Domenico Loviſa Stampatore di Venezia, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data li 23. Febraro 1755.

(*Z. Alviſe Mocenigo 2. Riſ.*
(
(*Barbon Moroſini K. Proc. Riſ.*

Regiſtrato in Libro a Carte 31. al N. 242.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 6. Marzo 1756.

Reg. nel Mag. Eccl. degli Eſec. contro la Beſtemia.

Franceſco Bianchi Segr.





